





1
6
497










I

XV

CAST.




# CHALCANTHINVM DODECHAPORION SIVE DVODECIM DVBITATIONES IN VSV OLEI VITRIOLI

ET DEFENSIO ANTIQVORVM IN ARSENICI, ATQVE SANDARACHAE POTV,

AD RAYMVNDVM MINDERERVM MEDICVM GERMANVM ELOQVENTISSIMVM

AVCTORE
PETRO CASTELLO PHILOSOPHO, AC MEDICO ROMANO.





ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Mascardi, MDCXIX.
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apost.

*Cæsar Fidelis Vicesg.*

DE Mandato Reuerendiss. P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sacri Palatij Apost. Mag. Ego infrascriptus præsentem librum *Chalcanthinum Dodechaporion inscriptum auctore D. Petro Castello*, vna cum *Defensione antiquorum in Sandarachæ, & Arsenici potu*. perlegi diligenter, nihilque in eo inueni, quod doctrinæ S. Romanæ Ecclesiæ, aut bonis moribus aduersetur, immo summa eruditione plenum, dignumq. vt in vtilitatem Reipub. Medicæ exponatur. In quorum fidem hæc scripsi, & proprio Chirographo subscripsi. Hac die 10. Ianuarij 1619.

*Ego Prosper Martianus Medicus Physicus.*

*Imprimatur*, Fr. Gregorius Donatus Rom. Mag. & Reuerendissimi P. F. Hyacinthi Petronij Romani, Sacri Palatij Apost. Mag. Socius, Ord. Præd.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

# FABRITIO VERALLO ROMANO

## S. R. E. CARD. AMPLISSIMO.

*PETRVS CASTELLVS ROMANVS S. P. D.*



IRABERIS fortaſſe (Cardinalis Ampliſſime) Audaciam meam, vt, qui inſurgere auſerim, (quieſcentibus interim plurimis doctiſſimis viris) & in medio poſitus; non modo contra exterorum doctiſsimorum Virorum ſcripta; ſed & contra noſtræ Vrbis, & Orbis grauiores, doctioresq. habitos, nomine, & auctoritate valentes, ac inter ſe acriter decertantes, placita; ſententiam meam proferre ab omnibus diuerſam, & omnibus oppoſitam: eorundemq. hinc inde rationes impugnare, ac plurima tanquam certa, & demonſtrata hucuſque credita, in dubium, & iudicium conuocare. Non Audaciam, non Temeritatem reprǣhendas obſecro, exemplo, & conſilio id factum eſt: ſicut enim Elephanti, qui Animalium omnium (homine excepto) prudentiſſimi à Natura geniti videntur, quum flumen aliquod traijciendum eſt (teſte Aeliano) natu minores primi aquam ingreſſi natando ſe transferunt, qui verò confirmata ætate iam grandes ſunt, pedibus innixi tranſeunt, & fluctibus obruuntur, dumtaxat promuſcidibus extra aquam eminentes. Simili (inquam) ratione, dum alij noſtri grauiores, & non ſolum ætate; ſed nomine, Doctrina, & Principum Romanorum gratia grandes, hoc Chalcanthinum, de quo acturi ſumus, flumen tranſgredi, vel parant, vel negligunt: Congruum fuit, me ætate aliquanto minorem idem natando ingredi, in ſublimi, & ſuperficie tantum delatum, quod dubitans de obſcuris, ceù natans præſtiti, pede haud profunda pertingens. At deinceps noſtris Maioribus hoc me in itinere ſequuturis non licebit ſuperficiem peruagare;

re;ſed profunda rimari;non tranſgredi natantes;ſed pedibus;& ſolidis fundamentis innixos:non extra aquas prominere;ſed totos in ſcientiarum gurgitibus mergi,totos difficultatibus obrui opus erit, vt profundo peragrato dubitationum, & errorum cæco pelago: alterum lucidum,firmi iudicij,& ſolidæ ſcientię,difficultatibus omnibus ſolutis, petant littus: relicta ſolum extra aquas promuſcide. Scilicet in docendo,redarguendo,obruta inuidia,ſuperbia,falſitate, apparentia,& alijs animi erroneis affectibus,appareat tantum promuſcis Veritatis, qua ſpirent,qua viuant,qua integra permanente, nihil metuant, nihil curent. Sed quid? Audaces in ſcribendo fuimus; Audaciores in redarguendo; Audaciſſimi in ſcribendo ad te, in offerendo exiguum Opus Ampliſſimo Domino, in proponendo aliorum errores, & noſtras dubitationes Veritatis, & certitudinis Patrono. Sed Audaciam ſcribendi transferas quæſo in deſiderium Veritatis inueniendæ, ſicut redarguendi Audaciam in Veritatis tuendæ cupiditatem, cuius gratia nil arduum, nil difficile; quaque nil gratius, nil optabilius; quocirca Sapientiſſimus Pythagoras interrogatus, quid Deo ſimile facerent homines, reſpondit, cum Veritatem exercent. Audaciæ ad te ſcribendi culpanda eſt gratiarum plurimarum in me, & fratrem meum collatio, & congeries à ſumma benignitate tua. Si exiguum offero munus,cum immenſa debeam: vt fumus ignis, ſic Animi mei ſignum hoc tantum erit: infinita debere fateor, ſatisfacere (vt decet) nequeo: fumum igitur offeram (exardentis cor ignis indicem) cum alia deſint: fumo etiam Deos placari cenſuit Antiquitas, vnde Ouid.

*Sæpe Iouem vidi, cùm iam ſua mittere vellet*
*Fulmina, thure dato ſubſtinuiſſe manum.*

Affero, & offero Dubitationes Medicas, & iure quidem: cum enim Medici hinc, inde, inuicem digladientur, ſine optimo Iudice lis hæc dirimi nequit. Adſis igitur, te quæro in iudicijs ferendis, & erudítiſſimum, & exercitatiſſimum, & æquiſſimum, litem propono, rationes vtrinque affero, iudicium meum ſuſpendo, ſententiam tuam expoſtulo. Medici ſaporem Olei Vitrioli in litem ponunt, alij Acerrimum, nos contra Acidiſſimum,alij Acerrimum,& Acidiſſimum ſimul dicunt;vel nos,vel illos,vel alteros error in guſtu afficit. Si inter nos non conuenimus de ſapore,quid de cæteris? Væ nobis. actum de Medicina eſt: Ab extra cogimur petere Medicarum

dicarum litium decisiones. Confugere ad ignobiles; confugere ad plebem, ad Rusticos, ad mulierculas, vt suum iudicium de qualitate saporis ferant, cùm nobis Medicis deprauatè afficiatur sensus gustus,& nobis,& cunctæ Medicorum Scholæ dedecus insigne. Ego pro mea virili, nè hanc toti arti imprimi permittam notam, ad te confugio, te supremum eligo Iudicem, tibi labores, & lucubrationes meas, defero, consacro, & submisse dedico, pro certo habens, non modo te summa, qua præditus es, benignitate, prudentia, sapientia, & æquitate, rectissimam laturum sententiam; sed summè Medicorum omnium decori consultum censeo, & affirmo, te elegisse, te acquisiuisse Iudicem. Obsecro autem, vt libenter accipias hanc causam, hoc Patrocinium; atque hoc tenue, & tenuis hominis munusculum à summa tamen obseruantia, studio, & amore in te meo profectum. Id si tibi non erit ingratum, & mihi animum ad grauiora Medicinæ, & Naturæ studia excitabis, & ad alia limatiora,& maturiora edenda compelles. Faxit Deus, vt sic tibi omnia quæcunque conaris honesta, ex animi sententia succedant, ac ipse opto, spero, confido, & auguror. Vale, & te ad Maiora serua. Romæ Pridie Idus Nouembr. 1618.




Ad

Ad perillustrem, & excellentiss. D. Petrum Castellum. In Herbarum, Mineralium, & Animalium cognitione peritissimum, Chymicumque eximium.

Iacobi Iacobelli Sabini è Colle Veteri Physici, & Medici Romani.

## EPIGRAMMA.

*Pasceret æthereas iterum si Asclepius auras*
*Optaret libros cernere PETRE tuos:*
*Noscere namque herbas, quas pulcer nutrit Hymettus*
*Hyblaq. quos flores, noscere namque docent.*
*Hos & Aristoteles cuperet; quique ebrius Auro*
*Mygdonio curat ditior esse Myda.*
*Hoc superest quod Vitrioli secreta retractans,*
*Dici cum tanta Iuppiter arte potes;*
*Denique non est, qui capiat tua facta, libellus,*
*Solus habes, quæ alij vix habuere simul.*



In Insignia Illustris, & admodum excellentis Philosophi, & Medici &c. D. Petri Castelli Romani.

## EPIGRAMMA.

*Ipse tuis quamuis obstet Podalyrius ausis*
*Exitij nunquam causa timenda foret:*
*CASTRVM etenim virtutis ades cui numina præsunt,*
*Et dedit Anguitenens quid dare docta potest.*
*Ne metuas Hostes bene prospicit edita Turris,*
*Eludit subitas, & PETRA firma minas,*
*Fossa incursantes tutissima distinet, arcet*
*Arx munita Hostes; vndique tutus eris.*

Vincentius Ridolphinus amicitiæ, & obseruantiæ causa posuit.

AV-

# AVCTOR LECTORI.



ON hæc, vt Typis daremus, ſcribere cœpimus; ſed ( quia Memoria labilis res eſt ) vt, quod inter legendum occurriſſet, notaremus, & dubitationum ſolutiones aliquando tandem ab aliquo Satrapo nanciſceremur: ſic Veritatem quæſtionum inter doctiſſimos Viros exortarum aſſequeremur. Conceſſit benignitas Diuina multa nos vidiſſe, & congeſſiſſe ad hanc rem facientia, quæ ſupprimi Amici, qui nos Spagyricis delectari, & ſimplicium cognitioni incumbere ſciebant, non patiebantur: mittere manuſcripta Sophiſtis non videbatur conueniens; nam ſoluturus aliquibus reſpondiſſet non omnibus, nec integrè, & aliqua fortaſſe perperam commutaſſet, nonnulla etiam alia menti occurrebant, id non permittentia. Itaque dubitationes meas, meamq. titubantiam omnibus patefacere volui: hoc vnum enim ſcio, me nihil ſcire Διαλεχαπόριων inſcripſi, ſunt enim ἀπόριαι, ſeu dubitationes in legendis ſcriptis doctiſſimorum virorum inter ſe de Oleo Vitrioli altercantium occurrentes, vt Syluatici, Rullandi, aliorumque ac potiſſimum Noſtrorum Gori, Alſarij: Denique doctiſſimi Mindereri: nec hæc habeto, vt certa, & apud me firmata, alioqui dubitationes non appellaſſem. Addidi tractatum de Arſenico, & Sandaracha Græcorum, veluti compulſus Mindereri in antiquos ignominijs, vt quo poſſem ſtudio Priſcorum honorem, immò veritatem ipſam tuerer. Scio autem doctos multas in his ſcriptis reperturos veluti apertas contradictiones; ſed aduertant rogo me, modo ex Vulgi Opinione, modo alicuius Auctoris, quandòque mea verba facere; ita vt, ſi quæ in vna dubitatione ponuntur, quandòque opponi videantur ijs, quæ in altera ſunt, non mirentur, non nos ſtatim accuſent, ſed ſolutiones à nobis quæſitas benignè doceant.



IN-

# INDEX DVBITATIONVM

## IN HOC OPERE CONTENTARVM.



# INDEX EORVM, QVÆ CONTINENTVR

## IN TRACTATV DE ARSENICO, ET SANDARACHA.



IL-

ILLVSTRI, ET ADMODVM EXCELLENTI

# D. RAYMVNDO MINDERERO

SERENISSIMI BAVARIÆ DVCIS
CONSILIARIO, ET MEDICO,
AC REIP. AVGVSTANAE PHYSICO IVRATO,
ACERRIMOQ. CHALCANTHI DEFENSORI.

## *PETRVS CASTELLVS PHYSICVS,*
*Et Medicus Romanus, Fœlicitatem dicit.*



ONO accepi (clariſſime vir) ab Illuſtri, & admodum Excellenti Botanico noſtro, communiq. amico D. Ioanne Fabro eruditiſſimum quidem, atque Aureum potius, quam Æreum de Chalcantho libellum tuum, quem ſtatim βούλιμος deuorans, vt potè rerum nouarum κατὰ φύσιν auidus, mox exactè ruminans reperi (veluti lautiſſimum præparatum Conuiuium, quo non precioſus, alterum) copioſis omnis generis frugibus, fructibuſque, & condimentis varijs onuſtum, apparatùque ditiſſimo exornatum, vt cum Poeta dicere poſſim.

Ζηνός που τοιαῦτα δόμοις ἐνκτήματα κεῖται,
Ὅσσα τὰ δ' ἄσπετα πολλὰ σέβας, μ' ἔχει εἰσορῶντα.

Itaque cibum reperi εὔστομον, εὐστόμαχον, εὔχυμον, καὶ εὔπεπτον, denique talem, vt in eo nihil deſiderari cenſeam. Deorum Nectar, Ambroſiamque, ſeu Hebræorum Mannam dicam; ſed nè tu cùm Homero.

Τοῖς δ' ὁ κόλαξ, πάμπρωτος ὑφαίνειν ἤρχετο μῦθον.

Scias me ab ineunte ætate naturæ μυστήρια in Animatis, Botanicis, Subterraneis, atque Chimicis, adeò delectaſſe, vt nuper duo edita in Chalcanthum, eiusq. liquorem libella, ſeu βλασφημίας, fermè ναυτίαν mihi attulerint. Quod operis nec impunè cæteri Medici Romani diù viuere ſinent. Dum verò hæc aguntur inter cæteros ſum equidem Romæ ſæpè vſus Vitrioli Oleo in febribus præcipuè (de quibus apud Romanos Medicos, contradicendi ſtudio, recens exorta eſt quæſtio) fœlici admodum ſucceſſu, eòq. à pueritia Empiricos, Chirurgos, ac Medicos vtentes vidi; immò Doctiſſimos (fœlicis Memoriæ) Præceptores meos Andream

Baccium, & Andream Cæsalpinum ambos Romano in Studio publicè docentes; ipsos, inquam, in quotidiana praxi hoc vtentes Oleo, seu spiritu ad febres sæpe obseruaui, non sine magno ægrorum commodo. Extant prætcrea Romæ æditi à Medicis quibusdam Romanis haud obscuris, & indoctis de Olei Vitrioli præparatione, ac vsus Codices aliquot. Atqui vsus sum etiam, aliorum exemplo, nonnunquam Vitriolo ipso crudo ad vomitus excitandos, & nunc præcipuè hæc scribens, à Dioscoride edoctus, in muliere, quæ ab vsu fungorum læthalium suffocabatur, alios autem vsos noui ad pleuriticos, & morbillos ex febre pestilenti, necnon ad vermium expulsionem, prout commendauerat Dioscor. Vitriolum verò Cyprium Cœruleum ad Epilepticos, seu potius Conuulsorios puerorum morbos (nobis *infantigliole* dictos) etiam ætate vnius tantū anni (variata solum pro ætate dosi) præsentaneum comperi auxilium, vt sexcentorum est salutari confirmatum experimento: hoc enim in puluerem redditum, paucoq. cùm vino, vel Galegæ aqua, si febris est, potum, paulo post viscosorum humorum puerulis vomitum concitat, & à sæuo liberat morbo. Ab extrà verò huius adhibiti nemo certè hic est in Vrbe, qui vires in Scabie, vulceribusq. difficillimis ignoret, & quod periculosius est, ob partis præstantiam, ipso plebei omnes (& ad hoc id publicè vendunt circulatores) ex aqua limpida, oculorum affectibus, maculis, fluxionibus, & lachrymis vtuntur. Dixerat Pl. *suspendit Epiphoras, penicillo fronti impositum*. Taceo vsum ad maligna penis gallica vlcera; astringendiq. vim summam. Vnde Pl. *nuperq. inuentum, Vrsorum, in Arena, & Leonum ora inspargere illo; tantaq. est vis in astringendo, vt non queant mordere*; aliasq. Chalcanthi vires silentio obuoluam, his tantum obiter dictis contentus, vt scias tu, tuique sciant Germani, qui Italiam non degustarunt, χάλκανθον non ignotum Italis, præsertim Romanis apud quos Vitriolum Romanum dictum colligitur, nec ab omnibus pariter eius Oleum, seu spiritum abhorreri, cum ex 150. Pharmacopeis, qui hic Romæ habentur, paucissimi sint, qui in sua Officina Vitrioli Oleum non habeant paratum. Vitriolum autem Veneris venale haberi, & nunc, & viginti ad minus ab hinc annis, in Officina solertissimi Henrici Coruini Batاui Delphensis Pharmacopei, in simplicium cognitione, & Chimia nulli peritia cedentis, testis erit oculatus Clar. Ioan. Faber noster. nil igitur noui affers. tibi tamen summo Chalcanthi defensori, patronòq. diligentissimo, mecum plurimi doctiores, puriores, candidioresq. ac sincerioris doctrinæ amatores gratulantur, gratiasque, & agunt, & habent; tu enim præstantissimi medicamenti varias præparationes, ac vsus diuersos benignè, dicato opere, commonstrasti, (si cui prius ignota hæc fuissent) & in vnum collegisti, atque vt decet, collaudasti, & extulisti, vnde ob Tropheum erectum semper pro te deuouet, odoratàq. Thura incendet grata posteritas.

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι

Ἠ' ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα;

Sed nè hæc frustra scripsisse videar, nè vè homini maioribus implicito curis tædio sim. Occasio scribendi, ea fuit, quamuis nequaquam tibi fuerim notus, & è parte longinquiore, (nec quidem Hesiodo consentiam.

Τηλοῦ φίλοι ναίοντες, οὐκ εἰσὶν φίλοι.)

Vt in primis absentem de re litteraria bene merentem Amicum conquirerem, simulq. vt à viro apprime docto difficilium enucleationem acquirerem; deinde vt præsentibus meam sententiam efflagitantibus amicis obtemperarem; denique nè opus tuum à benigno donante Fabro, sine fructu accepisse, Hypnoticusque legisse, ac perlegisse viderer. Verum non hæc, vt de tua fide, ac laude, nè tantillum quidem demerem, chartis dedi, quas potius augere cupio; sed vt minus tacta, & forsan obscura magis, à te nobis explicarentur, doceri enim non docere aueo; tuæ igitur benignitatis fama fretus hæc incompta satis, rudiq. melleo exculpta, nullàq. methodo, ac ordine digesta, qualiacumque tamen fuerint mittere ausi.

*Audentes, sorsque, Deusq. iuuat.* Ouid.

Quæ tuo libenter acerrimo placet, iterum, atque iterum submittere censu, crisiq. Dico autem ingenuè in opusculo tuo omnia propemodum mihi satis fractura, & dubitatiunculæ aliquot perpaucæ mihi explanarentur, quod & cæteris euenturum suspicor. nè igitur hæc obijciant aduersarij, sententiam tuam, doctissime vir, summoperæ cupio, quam te aperire non dedignaturum (pro tua immensa humanitate) spero, vt opponentibus opponi liceat.

## DVBITATIO I.

### Vtrum Oleum Vitrioli Aquæ mistura verè refrangi, & domari possit:

PRimo autem occurrit, quod scribis fol. 94. & 96. nimirum *Oleum Vitrioli fortissimum medicamentum ita posse temperari, vt euadat leuissimum*. Quod penitius per mentis Organa perspicienti falsum omnino videtur, quamuis primo exteriorum sensuum intuitu verissimum videri possit; etsi enim, vt Medici sensatis, conquiescamus, vt Physici tamen, abscondita, & rationes, causasq. rerum quærimus.

*Fœlix, qui potuit rerum cognoscere causas.* Virg.

Primo autem aquæ iniectum sapore refractum videbitur; sed licet hoc ad sensum appareat, ratione non ita affingetur. Quid, vis Minerale, & Salignum refrangi, ac domari simplicis aquæ mistione? miscebitur, & liquescet visu; sed re vera in minutissimos dispergetur Atomos non naturam mutabit, nihil de suo amittet. sic Gal. 2. de simpl. m. fac. cap. 26.

*Calcitis, Sandaraca, Miſy, cæteraque, quæ nos vehementer, tum excalefaciunt, tum reſiccant, validas etiamnum ſuas vires etiam aquæ permiſta obtinent,* ſic Υ'δράργυρος ſputo, vel vnguento ductus ſenſui omnino refractus videbitur; ſed non ita realiter ſe habebit. Clarum hoc eſt, quia facili negocio ambo in priſtinam redeunt Naturam, hic quidem calefactus, illud verò, reſoluto adſcititio humore. Quippe ſi Aquæ V. G. ad lib. 3. Olei Vitrioli ℥. 1. commiſcueris ſapor, & vehementia refracta quidem ad ſenſum videbuntur, at ad ignem ſi appoſueris in vaſe, vel aperto, vel occluſo donec tota aſcendat aqua, & ſeparetur, remanebit Oleum Vitrioli in ſuo priori eſſe, æquæ fortiſſimum, ac prius, nihilq. immutatum, & tu ipſe doces fol. 35. phlegma ipſius Vitrioli quarta parte per exhalationem, vel diſtillationem ſeparata multo reddi potentius. Nec mirum Acidam huiuſmodi aquam, ſi diſtillatione aſcendere cogatur, inſipidam exire; non quidem reducente ſe ſapore ad Oleum reſidens, nam accidentia de ſubiecto in ſubiectum non tranſeunt; ſed Oleo prius in minimas diuiſo partes, cui ſuus ineſt ſapor, nec verè aquæ permixto, & vnito, ſe adunante, colligente, & congregante. Non nè Paracelſus phlegma pluries cohobando, refundit Oleo, & diſtillat? nec vnquam perfecte miſta ſpectantur, quia remanet in fundo ſemper Oleū: immo ſi aquæ puræ hoc Oleum infunderis, ſtatim ad ima deſcendere ſpectabis, nec ei miſcebitur ſine agitatione. Quod ſi aquæ miſtum per plures dies ſines, Oleum iterum ad inferiora deſcendet, & ſi deguſtaueris aquam inferius acidiorem, quam ſuperius ſenties; non ſecus, pauliſper igni ſi approximaueris, cernes Oleum infra reſidere (ſed ne in verbis ſit obſcuritas, hic non loquor de phleg. vel ſpiritu Acido, at de liquore illo, qui vulgo Oleum dicitur) & tu fol. 28. Oleum Epilepſiæ non conferre ſcribis, quia terreſtre eſt, ac Metallicum, ideòque fundum petens. Paracelſus etiam ipſe dixit *Oleum ex colcothare diſtillatum naturam habere terreſtrem, & vltra eam regionem cui adhibetur non egredi,* quo patet refrangi ſenſu non realiter, (vt dicunt Scholaſtici) & ſubſtantialiter. Non enim eſt proportio inter Aquam, & hoc Acetum minerale, vt fiat Actio, Paſſio, & Reactio, quæ requiruntur ad perfectam miſtionem, & vnionem. Etenim inter agens & paſſum conueniens requiritur proportio, quæ ſi deſideratur, actio deficit, ideo Ariſt. 1. de Gen. & Cor. cap. 4. ſcripſit. *Non quodcumque natum eſt pati, & facere: ſed quæcumque aut contraria ſunt, aut contrarietatem habent, neceſſe eſt, & patiens, & agens genere quidem ſimile eſſe, & idem, ſpecie autem diſſimile, & contrarium.* Acetum autem vineum aquæ iniectum ὀξύκρατον vocant, Poſcam Latini (Acidum quidem, ſed, ob præcedentis calorem putredinis, acredinem retinens quandam, vt voluit Gal. 4. de ſim. m. f. 12.) Aqua ipſa refrangi, euinci, & vniri, tam quò ad ſubſtantiam, quam ad qualitates credibilius eſt, Aquoſæ enim ſubſtantiæ Acetum Aquæ congeneri peroptime immiſcebitur. At Minerale Acetum (Acidum ob amiſſionem prioris formæ, ac velut illud ex

putre-

putredine, vt volunt, acre ab igne) fortis, & indissolubilis substantiæ, Mineralis, ac terreæ cum aqua nullam habens proportionem, & societatem, impermistum omnino in hac permanebit substantia sua, diuisum tantummodo in particulas, quamuis nostris sensibus vnitum omnino apparere possit. Nec enim in Oxicrato Vegetabili Acetum in suam deinde naturam redire poterit, non quidem euaporatione, vel distillatione, quamuis in hac dices primo exire aquositatem, vltimo remansurum Acetum, quia calore Acetum imbecillius redditur, vt scribit Gal. 3. περὶ διαίτης ὀξέων. 3. (si ei credis.) In hoc igitur optima facta mistione, ita vtriusque misti partes refranguntur, vt non amplius resurgere, & disgregari queant, fit enim fermentatio, actio, & reactio, & ex duobus vnum quid diuersum à suis resultat mistis, vt in Theriaca ex mistione, & fermentatione plurium substantialis vna misti forma, & in vnguento ex Oleo, & Ærugine sarcoticum. Oleum autem Vitrioli agere non potest in aquam, vt eam in sui naturam vertat, nec è contra aqua in aqueam vertere naturam poterit vnquam Vitrioli Oleum, manebunt igitur simul sine mutua passione, atque actione, cùm sint inuicem impatibilia. Quare Oxicratum hoc Minerale si non est perfecta vnitum mistione, ac refractum: haud assequi possum, quo pacto ex fortissimo leuissimum euadere possit Chalcanthi Oleum, vt tu asseris; immo non est ei fides habenda, nè, si iterum poterit resurgere, & separari ab aqua in corpore nostro, agat in ipsum, vt validum, purum, Acidissimum, & Causticum.

Dices non resurget, nec separabitur ab aqua tam facile. Quærò, an sumptum, à calore nobis insito attrahetur, vt simile? an expelletur, vt nocuum? an nè retinebitur, vt Amicum? vel, vt concoquatur? nullum ex his. Certum autem est Naturam acturam in Oxicratum Minerale, cumq. duo repererit non benè mista, euincet aquam alterabilem, relinquet Oleum hoc impermutabile, coctione autem magis segregabuntur, aquaque euicta ad venas permeabit: Oleum autem, vel secum ducet, vel non? non aquam disiunctum sequetur: Nam ipsa leuis, hoc graue, ipsa ascendet, hoc descendet, si remanserit, si separabitur Oleum ab aqua, aget, vt validissimum, totis suis viribus, vnita tota sua substantia. In corpore igitur assumptum Chalcanthi Oleum aquæ iniectũ aget quantum poterit, qualitatibus suis non omnino obrutis, & illigatis copia aquæ; sed debiliter ob substantiæ suæ minimas in partes diuisionem, & seiunctionem. At processu temporis à Calore Corporis Oxicratum hoc Minerale calefactum, & per sudorem, vel vrinas, aut aliter resoluto paulatim, & consumpto aqueo humore, in Ventriculi fundo (petit enim semper fundum Oleum Vitrioli, vt graue, quod patet aquæ iniectu) remanebit hoc Oleum sincerum, simplex, & purum, Acidissimum, & Causticum, quo sine dubio ventriculus, & intestina exulcerabuntur; Sed oppones fortasse quod scripsisti fol. 43. *Spiritus quidem Vitrioli subtiles, & euanidos euanescere postquam Auxilium tulerint*. Age, concedamus, quid de Oleo

terreæ,

terreæ, & Metallicæ essentiæ? an per Vrinas, vel aluum cum excrementis expelli asseres? non semper per Vrinas, non semper est diureticum: dixisti, si bene recordor, Vreticum cum Vreticis, Hepaticum, Spleniticum, cum Hepaticis, Spleniticis, cum Cephaloticis, Cephaloticum, & sic de cæteris; neque etiam per aluum semper deijcietur, etenim scitè à Gal. 2. de Alim. fac. 21. dictum est. *Acida cum succum crassum in ventre inuenerint, ipsum incidunt, & deorsum subducunt, ob idque deiectiones humectant, quod si ventrem purum inuenerint ipsum magis sistunt.* idem confirmant Isaac de Diet. tit. 1. cap. 13. Alchindus, & alij, Aquasque Termales Acidas idem efficere, qui de his agunt omnes testantur. Cum ergo sistat Ventrem, & ibi remanserit, proculdubio Ventrem, & intestina vlcerabit, & tu ipse testis es fol. 106. Acidulas aquas (quæ sunt veluti Oxicratum Minerale) Dysentericos offendere ob Aciditatem, & Acrimoniam. At, ni fallor, tibimetipsi, nimis manifestè contradicis, siquidem fol. 103. Aquas Cellenses Acidas valere scribis *contra Dysenteriam*, negas paulo post fol. 106. *Offendunt* (inquis) *Acidulæ Dysentericos, & quibus exulcerata sunt Viscera.* imagina reconciliationem. Accedit quod omnia Acida offendunt intestina, vt etiam admonuit Auic. prohibens in vlceribus intestini recti cibos Acidos, cum enim recto noceant intestino, quod cæteris à ventriculo distat magis, certum etiam erit eadem nocitura alijs quoque omnibus Ventriculo propinquioribus. immo ipse Hip. 3. Acut. 32. *Oximel intestina humectiora, atque in ijs ramenta, & abradendo vlcera efficere,* scripsit. tamen Acetum, Aqua, Melle, & coctura refrangitur. Gal. etiam 3. Acut. 24. in Oximelite virtutem Aceti coctura imminui apertè dixit. Si ergo hæc non sufficiunt pro imbecillitando Aceto Vegetabili, adeò, vt nè intestinis noceat? quid sperandum effici posse in Oleo Vitrioli Aceto Minerali, Acidissimo, & potentissimo, neque calore ignis, neque mistione vlla mutabili? nam ex te ipso fol. 90. *Oximella, Oxisacchara, & alij Sy. Acetosi Simplices, & compositi respectu Oleo Vitrioli vmbræ sunt, & mille passibus huius vires non assequuntur.* Iure autem miror, te Galenicum (vt ais) pagina tua 91. ad Diarrheas, & Lienterias Oleũ Chalcanthi exhibere, cum Dysenterias faciat. in hoc tamen (vt aduerti) te hæsitantem non potes cælare: non enim astrictione, & per se prodesse respondes, sed adiuuando coctionem (at quomodo id Acida operantur?) & per Accidens iuuare posse: & ita defendere asserta conaris: quamuis Olei huius astrictionem neutiquam abscondere possis.

Nec sperari potest Oleũ Vitrioli intra Corpus à calore naturali fore, vt euincatur, hic enim superat, & oppugnat ea, quæ apta sunt ab ipso commutari, eo enim agit Agens, vt assimilet sibi passum (vt docet Arist. 1. de Gen. 24.) Hic nulla spes est assimilationis, nulla nutritio: ex Mineralibus, & terreis nulla in Sang. & Chilum conuersio. Quo igitur fine in hoc aget Natura nostra? Vix enim aliqua ex Vegetabilibus (multa cum impermutabilia sint) aliqua ex Animatis (pleraque etiam ex his relin-

quit)

quit) permutare valet. Ex fossilibus verò transmutare nullum aggreditur, quod toto genere sint à Natura nostra aliena, & à Calore Naturali prorsus impermutabilia, non Aurum, non ferrum, non sal, & huiusmodi: sed Medicamenta semper sunt nihil permutabile habentia.

Atque hæc fossilia Mineralis, & terreæ naturæ à nostro Calore nil quicquam pati exemplo nunc sit satis Hydrargyrum, quod ipso iniunctos (vt solet ad morbum Gallicum) etiam post plures annos; & tandem de mortuos, si secueris, inuenies solidum, in sua forma, intus manens, purumq. ac sincerum, nec per tot annos quicquam passum à corpore, non expulsum, non edomitum, nec debilitatum; immò quod mirabilius est, ab extra fuit applicatum, & in vnguento mortificatum, & bene permistum videbatur, intus autem resurrexit, & coadunatus est. Sic quoque Aurificum corpora ingreditur Aurum Mercurio Amalgamatum Argento, vel ferro obducentium, fumo tantum, & intus postea eorum in corporibus se recolligit, coadunat, suamq. ponit sedem, nec item à calore innato euinci vnquam spectatur, vt quod sæpe ignem eludat. Non hæc sunt fabulæ, spectauimus nos Romę in Xenodochio incurabilium plurimos (Excellentissimo Iuliano Cecchino piæ memoriæ Clementis VIII. Chirurgo iubente) Argento viuo inunctos, quorum post mortem (dissectis corporibus) caput, tibiarumq. ossium cauitates Mercurio scatebant. Vxor præterea Clarissimi Sebastiani de Bolis Ariminensis Iuris Doctoris ex in vnctione quadam cum Hydrargyro ad Phtiriasim capiti sæpe adhibita in eam capitis deuenerat grauitatem, vt eo parum in aliquod latus inclinato ibi statim perciperet magnum deferri pondus, quo caput in illam partem necessario ruebat, nec attollere poterat, nisi adhibita capiti manu: demortua tandem est post aliquot menses, & denique sepulta. At post septem dies ob suspicionem Argenti viui (tunc marito prægressas vnctiones resciente) in secto fœtentis è sepulchro extracti cadaueris craneo vltra vncias binas Hydrargyrum est collectum. Quo nobis constet à calore nostro Mineralia euinci non posse. Ob id Oxicratum Minerale, secutura in corpore Aquæ separatione ab Oleo, non erit tutum, cum tale Oleum substantia Minerale à Natura superari possit numquam.

Scribis tu fol. 94. & 96. *Alium, Euphorbium, Sinapi, Castorium calidissima, & Vesicatoria, immo, & Cantharidas intro sumi. poterit ergo etiam* Causticum *Vitrioli Oleum intra corpus vsurpari*. Miror equidem à te adductam paritatem, aliud debebas Causticum proponere Minerale, non Vegetabilia, vel Animata quæ tandem à calore nostro euinci possunt, vt perbelle Gal. explicat. 3. de temp. 3. & quandoque in substantiam agentis mutari. Cantharides autem quamuis terrestris substantiæ, & nutritioni ineptæ à calore tamen nostro domabiles sunt, & superari aptæ, Oleum verò Chalcanthinum, nec à summo calore ignis permutatur cum Metallicam naturam sapiat ex te ipso. fol. 36. & 42. & 48. quamuis rectius postea dicas fol. 85. Vitriolum non esse Metallum, sed Minerale

ex Salium genere. Vnde Cantharides reſurgere nequeunt, Oleum Vitrioli nunquam domatum, temporis proceſſu, reſurget, & aget deinde, vt immiſtum. Poteras potius, tua pro defenſione, ſal proponere, aut Sulphur, Nitrum, & Σανδαράχην Græcorum, quam tamen tu fol.73. ita vituperas, ſed in hoc (parce quæſo) admirationem mihi concitaſti, quam fol.74. *Paracelſum* (ſcribis) *cenſuiſſe Veteres per Vini ſpiritum Venenatam qualitatem Sandaracæ ſuæ ademiſſe*. Et tu hæc credis? nimis tribus Paracelſo, alioqui viro non indocto, haud penſitatis prius verbis, nimis credulus es mi Raymunde; Dic, qua via id reſciuit Paracelſus? Quis Dæmon hoc illi patefecit? Spiritus nè Gal. an Dioſc. in aures ſuſurrauit? potius Vini: Putaſnè Veteres, Dioſc. & ipſo Antiquiores, Vini ſpiritu vſos? Qua coniectura? quando ſomniauit hæc homo ille? an poſt Germanica Conuiuia? dicam cum Epippio.

Οἶνε σὲ πλῆθος πόλλ' ἀναγκάζει λαλεῖν
Οὐκοῦν μεθύοντας φασὶ τ' ἀληθῆ λέγειν.

Si reſponſum velis οἶνος, καὶ ἀλήθεια. Loquutum cenſebo, non Apollinea, Delphicàq. ſed Bacci ex Tripode. ſed omiſſo ioco, ſcias, doctiſſime Minerere Veteres, diſtillandi artem ignorantes, Vini ſpiritum numquam ſegregaſſe (vt ex eorum ſcriptis elicere eſt) hinc conſtat ipſo non vſos fuiſſe in præparatione Sandarachæ, de qua agere, ſi locus eſſet, pluribus conueniret, quod in aliud commodius tempus differetur.

Si reſpondere tibi in mentem Veniret, idem Accidere Oxicrato Minerali, ac Muriæ, ſeu Sali aqua diſſoluto; hoc enim ſimplex Acre eſt (ex Dioſc.) Eſcharoticum, & carnem (ex Meſ.) liquefaciens, tamen aqua ſiue iure ſolutum, aut alijs miſtum rebus, vt carni, caſeo, continuo qualibet die intro ſumitur, nec nocet, purum Capræ, & Cameli edunt, quamuis diuerſæ à noſtra Naturæ, ipſum tamen Sal nec ab igne vincitur, & ab aqua ſeparari, quando libuerit, poteſt, iterumq. acre, & vrens reddi; tamen in corpore ab aqua ſeparari haud experimur, ita vt integrè, & vi totali agat in corpus, nec item à corpore euincitur, cum ipſe ignis nequeat: ſed poſt ſuam functionem expellitur cum excrementis. Obſtarem, quia diuerſa eſt ratio. Primo enim ſal benignum eſt, teſte Platone in Timeo. Hoc *Deo Amicum Corpus* Nuncupans. Vitriolum verò malignum eſt, & corpori inimicum, præcipuè ignem expertum, tunc enim tu ipſe Draconem appellas, & Venenum fateris: alia deinde ratio eſt; nam Sal excitat Expultricem, ex quo Meſ. inter ſoluentia hoc poſuit. At Oleum Chalcanthi Acidiſſimum roborat retentricem, excitat appetitricem, & attactricem, nec ſine aſtrictione eſt, vt tu fateris fol.91. Sunt igitur contraria: quò poſſumus dicere nos Sal expelli cum excrementis, & per Vrinas, nec diu permanere; Ob id multa eius copia ſimul vniri nequit: quod ſi aliquo caſu per corpus ſalſedo feratur, paulatim etiam depuratur, & ſincerum ſal (expellente hoc tandem percutem natura) ſcabiem, pruritum (ſi per ſudores non fuerit eiectum) aliaſq. difficiliores ſanatu cutis affectio-

affectiones parit sua Acredine à Natura non nisi expulsione domabili, & superabili. Non sic expelletur Acidissimum Chalcanthi Oleum, sed diutius retinebitur, non quidem, vt naturæ Amicum, verùm ob retentricem coadunatam, & astrictam, quæ nec excrementa, nec parum Amica, dummodo non irritent, egredi prohibet, sic igitur diutius hoc Oxicratum intus retentum patietur quod dixi, quoad solum Acetum Minerale, purum remanserit, tūc fortasse vlceratione intestinorum expultricem irritando, expelletur. Verum tunc timor erit illius, quod Hip. Aphorismo illo habetur. 24. sec. 4. *Dysenteria, si ab atrabile incœperit, lethalis.* Nam Aciditate, fermentatione, & Caustica vi, parum inter se distabunt Atrabilis, & Oleum Vitrioli. Quo conclusum volo Oleum Chalcanthi nonnisi gustu refrangi posse aqua, vel simplicium decoctis, succis, syrupisq. admistis, & ex longo, pluriq. ipsius Oxicrati vsu sæuam imminere (nisi nos ratio allata decipit) Dysenteriam. & hæc pro prima difficultate in tuis doctissimis scriptis, quorum solutionem, vt tibi viro eruditissimo perfacilem censemus; sic tu nobis gratissimam ex te audire censeto.

## DVBITATIO II.

### Vtrum Oleum Vitrioli calidum, vel frigidum sit.

ALtera dubitandi occasio accedit, quia nihil certi de huius Olei temperamento definisti. An calidum, an frigidum, tu indiscriminatim propinas, morbis calidis, morbis frigidis, atque fol. 94. scribis *infrigidat cum frigidis, calefacit cum calidis*. Si hoc est nullius est qualitatis, cum admistorum tantum vigeant qualitates. Temperatum esse non potest, & æquale; nam cum secundæ qualitates à primis prodeant, secundæ quum sint intensissimæ, vtpotè Acidissimæ, vel Acerrimæ, vt volunt alij, necesse erit etiam, vt primæ ipsæ intensissimæ similiter sint. Sed age sis nunc, quid Oleū Vitrioli calidum est, frigidum est? vtrunque simul, & semel? an magis calidum, vel magis frigidum? Scio tibi notum esse, duo non posse contraria actu in eodem simul manere subiecto (cum alioqui facile fuerit ex Arist. de sensu, & sensili. cap. 8. & 14. Metaph. 3. & 4. alibi didicisse) quare non poterit idem simul esse calidum & frigidum, nisi dicamus alterum per se, alterum per accidens illi inesse, quod debebas explicare; nisi fortasse id intellexisti pag. 97. calefacere per se, & refrigerare per accidens, cum scripsisti. *Causticum sanè est Oleū Vitrioli, & summè calidum, attamen diuersimodè accommodatum, vel debitè porrectum maximopere refrigerat*. Sed melius asseris, mea quidem sententia cap. 3. pag. 26. *Vitriolum diuersas habere substantias, & ideò contrarias qualitates*. In quo tecum sentio, sed quæ partes superent quæro, tu nihil certi asseris, at non de Vitriolo, verum de ipsius Oleo quæstio est, an & hoc mistas habeat substantias, & qualitates per te scire cuperem. Tu verò

ſcribis quidem. *In hoc* ( ideſt Vitriolo) *calida frigidis, humentia ſiccis ſociata tantiſper conquieſcunt donec à Spagirico perito ab inuicem ſeparentur, & elementorum diſgregatione diuidantur*. Si ergo diuerſæ ſubſtantiæ igne ſeparantur ab inuicem, Olei vna erit forma, & qualitas vna, ſi dices adhuc duas remanere ſubſtantias ( quod non credo ) quæro an adhuc ſint ab inuicem ſeparabiles? ſed his omiſsis, mihi (ſi, quod ſentio, licet aperire ) eadem quærenda videntur, eædemq. occurrunt difficultates, quas agitat Gal. de ſimpl. med. fac. circa Acetum Vini, inter vtrumque enim maximam ſimilitudinem imaginor Temperamenti, Saporis, & Virium, nec nomine differre multum volo: aliud enim Acetum Vini, & Vegetabile: aliud Acetum Chalcanthinum Minerale, ſeu Metallicum appellabo cum Chimicis. Et vires certè ſimiles Aceto Minerali, & Vegetabili adeſſe ſcimus, verum quidem Minerali potentiores, eiusq. Oxicrato. Amborum ſapor idem eſt, nec ego ille ſum, qui Oleo Vitrioli Aciditatem denegem, cum Acidiſsimum percipiam. Lapides ambo diſſoluunt, ſimiliaq. operantur, vtrique fermentatio competit, viresq. aliæ, quare temperamentum idem, intenſione aliquanto diuerſum, debere eſſe cenſeo, ob quæ cum Gal. aſſerente primo de ſimp. m. f. 21. *Acetum Vini eſſe neutrum* ( tripliciter hac voce diſtinguente Herophilo) *vtriuſque extremorum participatione*, ita vt, & calidi, & frigidi particeps, neque calidum, neque frigidum ſimpliciter dici mereatur. Cum Galeno ( inquam) nos quoque Acetum Minerale in qualitatibus neutrum appellare poterimus. Porrò quia idem Galenus eodem lib. cap. 17. & 19. necnon lib. 4. & 8. ac 1. de comp. med. 2. loc. & alibi. *Acetum magis frigidum minus calidum* docet. Ex quo Dioſcorides ſimpliciter frigidum pronunciauit (quamuis contra frigidos venenatos ictus probauerit ) ob id igitur nos quoque, ipſius exemplo, Acetum Minerale habere partes frigidiores calidioribus potentiores pronunciabimus, ideoque magis refrigerare, quam calefacere, vt enim in Aceto contrarias qualitates conſenſit Galenus, ſic nos, ſecundum ipſius doctrinam, in Oleo Vitrioli eaſdem imaginabimur.

Sed ſi quæret aliquis, quo modo ſimul manere poſſint hæ contrariæ qualitates. Huic fortaſſe ſatisfacere poterit Gal. 1. de ſim. med. f. 7. qui in Aceto obſcuram Heterogeneitatem imaginatus, non vt in lacte manifeſtam, & ſeparabilem ſcribit. *Atqui neque tale quid repertum in Aceto eſt, neque manifeſto demonſtrare poſſis, quod quantum eius eſt tenue, atque humidum exacte, refrigeret, quod verò ſecundum fœcis ſubſtantiam in eo defertur, veluti in Vinis calefaciat, nam ea ſolum ratione apertè quis probauerit ex contrarijs ipſum partibus conſiſtere ſicut lac. ſanè in omnibus liquoribus, quos exprimendis fructibus conficiunt, craſſum defertur quippiam, quod & temporis ſpatio ſubſidit, fœx vocatur in Vino, in Oleo autem Amurca: ſed & in omnibus alijs humiditatibus expreſſis ineſt, quod illis proportione reſpondet, tametſi proprium nomen ſortitum*

*non sit, quod velut fœx est in illis, & fortasse, & in Aceto est eiusmodi quippiam, & forsan ipsum est quod caloris est particeps, quod verò frigoris, id, quod tenue est, fortassis verò, & in ipso tenui exiguum quiddam defertur in multa quantitate dispersum alterius Naturæ, quam ipsum sit totum: nam quod maiori parte frigidus sit, quam calidus, liquido ijs apparere arbitror, qui verè facultatem eius expenderint.* Eadem omnino nobis aptare licebit Aceto Minerali, in eo considerantes substantiam tenuiorem frigidam, & Acidam, crassiorem verò paucam, acrem, & calidam: similiter etiam, quæ de Oxicrato cap. 29. subiungit insedanda siti, nostro tribuemus Minerali Oxicrato.

At in præsenti, quoniã Galenus loco mox citato, in explicanda parte Acri in Aceto titubasse videtur, & imaginatione sola ductus fuisse, si meã de Olei Vitrioli sapore liberè proferre licuerit sententiam: non modo dissentiam ab ijs, qui hoc Oleum Acidum esse negant, & Acerrimum tantum imaginantur, quia *Si Acidum esset, refrigeraret* (dicunt) *at quia maximè calidum est* (vt somniant) *non esse Acidum* clamant rauci. Sed his etiã è directo omnino me opponam (dummodo notum sit, nobis sermonẽ esse de Oleo potabili, non de Nigro Caustico,) eò quod frigidissimum suspicer, etiã Acidissimum proclamans, minimèq. Acre. Quamuis cæteros tecum Oleum Vitrioli Acerrimum, & Acidissimum fateri sciam sicut, & Acetum Vini, quod etiam quò Acidius, eò quoque acrius pronunciatur, ita vt augescente aciditate, augeatur quoque Acrimonia. Vnde Gal. 11. de sim. m. fac. cap. de Adipe, & 3. de comp. med. 2. loc. *Acetum vetustate calidius fieri* scribit, quia gustantibus Acrius appareat. Hinc Matthiolus non percipiens cum Acredine crescere etiam Aciditatem scriptis mandauit, *reperiri posse Acetum vetustate adeò acerrimum, vt plus habeat caliditatis, quam frigiditatis*, quod quidem mihi haud satisfacit.

Censeo autem ego hoc Oleum Acidissimum quidem esse Acre verò, vel nihil, vel parum admodum, me mouet, quia Acrimonia in Aqua diluto nulla percipitur, sed sola Aciditas, quò mihi constat nullam, vel paucam adesse Acrimoniam, alioqui non tam facile deperderetur Mineralis Acrimonia: non enim Salis salsedo: Euphorbij, Mercurij sublimati, Viridis æris, & similium Acrimonia, pauca addita aqua ita occultantur, vt sentiri nequeant (quum tamen magna deberet esse Acrimonia, si ob hanc esset Causticum, vt censet Vulgus.)

Si diceres, ab Aciditate retundi Acrimoniam, quo minus sentiatur, idcirco Gal. 1. de sim. m. f. 19. *Acetum in Acrimonia hebetanda vincit aquam, Rosaceum, & alia omnia.* Acredini Tapsiæ facilè medetur: immo si Euphorbium verbi gratia aquæ miscueris, & inde Acetum addideris, Acrimonia Euphorbij non sentietur. At si hoc est Verum, cur Acetum non retundit ptopriam Acrimoniam, nè sentiatur? si non sinit cognosci, quo pacto nobis innotescet? an solum per imaginationem? per

ſenſum mihi quidem ignota eſt. Quamobrem dixero Mordacitatem illam (quam Vulgus Acrimoniam quandoque vocat) quæ ſentitur in puro Oleo Vitrioli, vel etiam in Aceto Vini, ſoli ſummæ Aciditati, & ſummæ frigiditati tribui poſſe videri. Scribit enim Hip. *Frigidum Vlceribus mordax*, & quamuis Gal. explicet tantum detecta cute Mordax, ſatis tamen eſt, non ſemper calidum, & Acre Mordax, ſed interdum frigidum quoque Mordax. Ipſe autem 4. de ſim.m.f.cap.15.& 18. Mordacitatem communem eſſe fatetur, tam Acri, quam Acido, eamq. non lingua ſolum, verum etiam tactu quoque percipi, & cap.17. Sic expreſſe legitur. *Communis eſt mordicatio tribus iſtis ſaporibus Acido, Amaro, Acri. Verum Acido quidem, vt frigido ſimul, & ſubtili; nam & id ſæpe monſtratum eſt, Amaro verò, & Acri, vt calidis.* Scribit etiam ibidem. Mordacitatem non modo lingua ſentiri, ſed ab alia quauis parte cute ſpoliata, ex quo conſtare vult mordacitatem à tactu propriè, non à guſtu ſentiri. Manifeſtè etiam id colligitur ex Hip. 1. in 6. Epid. tex. 29. πυρετοὶ, οἱ μὲν δακνώδεες τῇ χειρὶ οἱ δὲ πρηέες, οἱ δ' οὐ δακνώδεες μὲν ἐπαναδιδόντες δέ. οἱ δ' ὀξέες μὲν ἡσσώμενοι δὲ τῆς χειρός. Scilicet Latino ſermone. *Febres aliæ quidem mordaces manui, aliæ verò mites, aliæ non mordaces quidem, ſed poſtea inſurgentes, aliæ Acutæ quidem, ſed quæ manui cedant.* Hic Hip. febres manui Acutas, & mordaces dicit, quod ad ſenſum tactus, non ad guſtum pertinet. Sed nobis ſumme fauet ipſemet Gal. 1. de ſimpl. m.f.23. *Haud concedendum* (inquit) *quibuſdam, quod Acetum ex eo, quod Mordax ſit, tenuium partium, & calidum eſſe colligunt*, & ſubdit paulo poſt. *Itaque neque Acetum, proinde quod mordax ſit, calidum fuerit; ſed tenuium partium, vti aer Borealis, non tamen calidum.* Niuem etiam, Boream, & Aquam frigidam non oculis dumtaxat; ſed, & vlceribus, & raris corporibus omnibus mordaces dicit. Non ergo ex Mordacitate Aceti Mineralis, vel Vegetabilis inferri poterit Acrimonia, & Caliditas; ſed in his agnoſcenda Aciditas, & frigiditas cum tenuitate partium, quod addit capite ſequenti 24. *Sat eſſe* (inquit) *tenuium partium, refrigeratorium, exiccatoriumq. Acetum dixiſſe.* Amplius Margharitarum colliquatio ab Aceto, & Oleo Vitrioli, non nè æquè præſtatur à ſucco Limonum, quem Acidum ſimpliciter, frigidumque ſine vlla Acrimonia concedunt omnes? immo hoc Oleo Liniti cultri Acies eodem modo hebetatur, ac à ſucco Limonum Acido. Sed quid plura? Dentes hoc Oleo aqua diluto ita omnino hebetantur, ac à ſuccis Acidis. Non igitur Acrimonia adeſt, ſed Aciditas, cum nullum Acre, & calidum hucuſque nouerim dentes hebetare, oſtendant mihi Aduerſarij, ſi ſciunt, gratias habebo. Adde quod Mordacitas eadem percipitur in Omphacio, ſeu ſucco immaturæ Vuæ exiccato, & ſucco Limonum, ac in Oleo Vitrioli, & Sulphuris. ſic. Hip. de Affect. *Acida, Attenuant, Morſum inducentia.* Quod ſi obſcuræ cuiuſdam caliditatis ſenſus oboritur. Reſpondit Gal. loco mox citato. *Forte caloris ipſius reuocatione, poteſt etiam cum Aſperum, moleſtumq. ha-*

*beat transitum, dolorem excitare, atque eum in locum calidam elicere fluxionem, si quidem id palam est, partibus dolentibus quippiam influere.* Non nè & nix manus mordicat, deinde calefacit? Quid enim est aliud Mordicatio, quam tristis sensus, quam obscurus dolor? Non nè ex Gal. multis in locis habemus intensam frigiditatem, intensam siccitatem, soluendo continuum, dolorem æquè excitare, ac ipsa caliditas solet.

Illi autem, qui hoc Oleum Acre, & Acidum simul tecum sentiunt, & aqua refrangunt, demum ad febres optimum prædicant auxilium, videntur mihi pueriliter nugari, nec quid dicant ipsosmet scire: esse enim sal Volatile, esse calidum, esse frigidum, & alia minime rationi, & se inuicem cohærentia fabulantur. Quæso explicent, quid sit calidius, & tenuius Vinum, an Oleum Vitrioli? Certè ipsi respondebunt, Oleū Vitrioli multo Acrius, & calidius esse Vino. Rursus quærò: quid melius aquæ miscetur Vinum ne, aut Oleum Vitrioli? profectò Vinum; nam Oleum hoc statim ad fundum descendit. Si ergo Oleū Vitrioli est Vino (per ipsos) calidius, acrius, & tenuius, dilutum etiam ipsius, alterius diluto calidius erit. Explicent modo cur Vinum dilutum non dant febribus, quod minus est calidum, dant verò Olei Vitrioli dilutum. An Vinum dilutum remanet calidum, Olei autem Vitrioli dilutum ex calido fit frigidum? an verò dicent Vinum habere partes tantum calidas, Oleū Vitrioli calidas, & frigidas simul partes, & calidas refrangi aqua, remanere frigidas? Sed explicent quæro (si sciunt) cur Vini calidæ partes non refranguntur cuius caliditas multo est minor (ex ipsorum sententia.) Dicam ego quod sentio, meræ nugæ sunt, quas afferunt. Dedaleum labyrinthum, immo miseri mihi videntur pulli stuppa irretiti, qui quo se magis commouent, vt extricentur, eò conuoluuntur magis; sciant ergo Aquam, quæ miscetur, humidam esse actu, & actu humectare, & actualem Olei Vitrioli, & Vini retundere siccitatē: At frigiditas potentialis optimæ, puræq. aquæ, adeò pauca est, & imbecillis; vt nec Vini debilis qualitates; immo nec sapores, nisi parum, retundat, ex Medicorum omnium sententia, qui, neque Vinum bene dilutum aqua optima ægris omnibus febrientibus concedunt. Quare multo minus retundere posset maiorem Acrimoniam, & Caliditatem Olei Vitrioli si adesset, vt ipsi somniant, concedant igitur esse sapore Acido, non Acri, & qualitate frigida, atque ita febribus conuenire, sine alia difficultate, affirmare poterunt.

Si Causticam vim opponas fol. 97. Summam Aciditatem, absque Acrimoniæ calidæ ope, causam dicam, sua nimirum siccitate, & tenuitate (cum sapores per se quidem non nisi gustum afficiant) qua Boreas, alijq. Venti (de quibus Theoph peripat. 5. de cau. plant. 16.) plantas germina, & folia ita adurunt, vt equidem, quandoq; distinguere nequiuerim, ignis nè, vel Ventus id effecerit. Taceo labiorum veluti exustionem, Calcaneorumq. exulcerationes. Nec quidem frigiditati Escaroticam vim tribuo, sicut nec etiam ignis caliditati; sed summæ siccitati, siue calori, siue

frigori

frigori coniunctæ, quia verò intensa ſiccitas rarò ſine calore reperitur: ideò Eſcaras à Calore fieri vulgus putauit. Ignis autem per ſuum Calorem calefacit, per ſuam ſiccitatem exiccat (vt colligitur ex Gal. 1. de ſim. m. f. 18. & 1. de temp. 2.) per formam ſubſtantialem ſibi paſſum aſſimilando, ſe ipſum auget. Verbum autem, Vrere, æquiuocum eſt: Vri enim dicimus, tam, quæ igniuntur, quam quæ ſumme caleſcunt, denique etiam, quæ ſummè exiccata duriſſima fiunt, vt Cruſtæ, quarum quidem generatio ab vſtione, non eſt, niſi exquiſita carnis exiccatio, quæ effici tantum debet ab agente validè, & exquiſitè exiccante, ſiue calidum, ſiue frigidum ſit, nihil refert, dummodo ſit extremè exiccans. Poterit igitur Acetum Metallicum Acidiſſimum ſua ſumma, & exacta ſiccitate, quamuis frigidum, Cruſtas gignere, Eſcaroticum, & Cauſticum dici: ſicut & Acetum, de quo Archigenes apud Gal. 8. de comp. m. 2. loc. 4. ſic ſcriptum reliquit. *Spongiam Acerrimo Aceto imbutam pedibus, ac brachijs imponito vſque quo bullæ excitentur, præcipuè ſi cibos reiectent.* Excitat enim bullas Acetum, non vt Acre, ſed vt Acidum; immo vt ſiccum, ſapor enim ſolum guſtum mouet. Acerrimum autem dicens Archigenes intelligit Mordax, & validum, non Acredine calida præditum. Non enim duæ ſunt Aceti ſpecies: Acre, & Acidum; ſed vna tantum magis, & minus Acida, vnde Romæ dicitur. *Acetum dulce, & Acetum mordax.* Ex dictis autem iure concludi nunc poſſe mihi videtur; Oleum Vitrioli eſſe Acidiſsimum, & nihil, vel parum Acre, frigidum, exiccans, ac tenuium partium. Mordacitatem quidem à frigiditate, Cauſticam vim à ſiccitate, penetrationem à partium tenuitate habens.

Sed vereor nè dicas ignem per Calorem exſiccare, & vrere. vnde Auer. 4. metheor. 1. *ſiccitas producitur à Calore primo, & per ſe, quia conſumit humiditatem, quæ humiditas ſequitur primo, & per ſe frigiditatem.* Quare calor Natura ſua corrumpendo frigiditatem, corrumpit etiam illius connaturalem humiditatem.

Reſponderem hoc implicare contradictionem, quo pacto idem poteſt calor primo, & per ſe exiccare? ſi primo agit in frigiditatem contrariam, deinde in humiditatem annexam. Siquidem hæc exiccatio non eſt actio prima, ſed ſecunda; non à contrario; non enim eſt contraria calori, ſed humiditati: idcirco humiditas à ſolo calore conſumpta non eſt à contrario, igitur per Accidens, & ſecundario; cum actio directa debeat eſſe inter contraria: nec item calor ſemper exiccat; ſed ſpeciem humidi non raro reddit, vt liquando plumbum, ceram &c. liquata enim humida dici merentur, cum congruat illis tali tempore humidi deſcriptio, quæ eſt, *terminari termino alieno.* Sed quæro, an idem eſt calefacere, & exiccare, ſi fiunt ab eodem opifice? Si idem, fruſtra dicitur ignis calefaciens, & ſiccans, ſufficit calefacientem dicere, ſic Aer, vt calidiſsimus erit quoque ſicciſsimus (quod eſt contra Ariſt.) ſi diuerſa, ſi duæ qualitates diſtinctæ, quælibet etiam actionem peculiarem habebit diſtinctam. ita ignis per

cali-

caliditatem calefaciet, per ſiccitatem exiccabit: Aer verò per caliditatem calefaciet, quia verò non habet ſiccitatem nullo modo exiccabit (loquor de elementari, non de eo, quem inſpiramus miſto.) Auerroes autem, ſic ex ipſomet erit explicandus, ibidem. Nam *Non quod libet* (inquit) *frigidum humectare, nec quodlibet calidum exiccare; ſed frigidum in materia humida, ſeu aqueam frigiditatem humectare; frigidum in materia ſicca, ſeu frigiditatem terream primo, & per ſe exiccare: Caliditatem verò in materia ſicca, ſeu caliditatem igneam primo & per ſe exiccare; ſicut in materia humida, ſeu caliditatem aeream humectare. nam agens in eo, quod agens agit in paſſum ita, quod faciat ipſum ſimile ei in ſpecie, & forma.* Quæ cum Vera ſint, & caliditas non quælibet exiccet, non poſſumus dicere ſiccitatem fieri à ſola caliditate; ſed à ſiccitate calida, vel frigida: atque ab his ſic iunctis primo, & per ſe; quo patet ſiccitatem adiunctam vim exiccandi impertiri frigido, vel calido, quam aliter non haberent: quare *ſi propter quod vnumquodque tale, & illud magis &c.* ſi propter ſiccitatem adiunctam calor, & frigus exiccant ipſa erit, quæ ſiccat primo, & per ſe, illa verò ſecundo, & per Accidens Peripateticè loquendo.

At Galenus magis ſenſatus Artifex, vt diſtingueret ſiccitatem calidam, ab ea, quæ eſt cum frigore 1. de comp. m. per gen. 6. *Propriè quidem* (inquit) *& primario ea, quæ digerunt, & temperamentum ad ſicciorem ſtatum perducunt, nominantur ſiccantia, ex Accidenti verò etiam ea, quæ frigoris cauſa, id, quod influit propulſant, & quod continetur expellunt.* vtrunque (5. cal. & frigid.) exiccare cognouit, vt etiam tradidit 1. de ſan. tu. 13. *Porrò* (ait) *ſiccitatem accidere faciunt, & quæ valenter aſtringunt, & quæ pariter calefaciunt, & ſiccant, illa namque humorem exprimendo, & quæ patebant contrahendo, conſtringendòq. ac denſando, hæc eliciendo per halitum humorem, ſiccitatem inducunt.* Cum autem in rei veritate exiccatio primo, & per ſe fiat à vi propriè exiccante, quæ diſtincta eſt à calefaciente, & frigefaciente ex ipſomet Galeno; nam per ſe agit: & cùm detur facultas humectans diſtincta, ſic etiam ſiccans ei contraria, diſtincta erit concedenda: per accidens autem, ſiccitas ſequitur calorem rarefacientem, aut frigus repellens. Dicendum ergo Galenum rectè aſſerere calida, & ſicca ſimul primo & per ſe ſiccare, nam, vt calida rarefaciunt, digerunt, & per halitum humorem eliciunt, vt ſicca verò exiccant primo, & per ſe. At frigida ſimpliciter, quæ contrahunt, denſant, & aſtringunt, ac humorem exprimunt, ſi parum ſicca, ſiccare per accidens dicentur. ſicut ſi calida ſolum, fortuna rarefaciendo ſiccarint, (vt aqua calens) erit per accidens. At ſi frigida, etiam ſumme ſicca fuerint, nihil prohibet, quin primo, & per ſe exiccent, vt calida, & ſicca.

Si obijcies. Siccitas eſt qualitas paſsiua ex Ariſt. 2. de gen. & cor. tex. 8. non ergo poteſt vrere, ſiccare, cruſtasq. gignere.

Reſpondeo diſtinctionem Ariſt. quatuor qualitatum in actiuas, & paſ-

ſiuas,

ſiuas ſano modo eſſe intelligendam; quandoquidem negare actiones humiditatis, & ſiccitatis deſipientis eſt. Gal.4. qualitates primas appellat omnes actiuas.de cur.rat. per ſang.m.3.& 3. meth.3. & 10 de ſim.m. fac. initio. præterea de conſt. Art med.9. *Calor autem* (inquit) *& frigus totam proximæ rei ſubſtantiam alterare poſſunt, ſimili etiam modo humiditas, & ſiccitas, quamuis hæ non æquè cito, ac priores attamen, & ipſæ tandem ſubſtantiam tranſmutant.* & has omnes actiuas appellans ſubdit. *Calor habet præ cæteris omnibus qualitatibus vim in agendo maximam, mox autem frigus, deinde humiditas, & ſiccitas.* At Hip. de Veteri Med.pag.6. *frigiditatem autem* (inquit,) *& caliditatem ego omnium facultatum minimè potentes eſſe in corpore exiſtimo.* Quo loci videtur velle Hip. mox dictas qualitates vires habere ab adiunctis, ſcribẽs etiam plura eſſe calidi genera, ſcilicet ratione qualitatum admixtarum. cuius hæc ſunt Verba. *Non enim calidum eſt, quod magnam vim habet: ſed ipſum Acerbum, & fluidum, & alia, quæ à me relata ſunt* (ſcilicet, Amarum, Acidum, Salſum,) *tum in homine, tum extra hominem, ſiue edantur, ſiue bibantur, ſiue forinſecus illiniantur, aut quomodocunque formata adhibeantur.* Quod etiam probat pluribus; itaque, vel à ſiccitate, vel humiditate, ex Hip. actiuitas calidi, vel frigidi augeſcet, quæ confirmaſſe videtur, Gal.1.de ſympt.cau.6. *Humidum, & ſiccum* (inquit) *ſi abſint citra violentiam corpus contingunt calefactio, & refrigeratio.* Et quidem frigida, aut calida intenſa, ſine ſiccitate, vel humiditate multa, haud reperies. At ſiccantia, & humectantia validè, reperies quidem ſine multo calore, vel frigore, ſi Galeno credendum. Is namque Macerem ſiccum tertio, temperatum in actiuis. Auriculam Muris, Cadmiam, Citricorticem, lentem, lentiſcum, liciumque, & alia. Sicca ſecundo, temperata in actiuis decreuit, nec vllum inuenies ſummè calefaciens, aut refrigerans, quin etiam ſummè exiccet, vel humectet, & nullum ex calidis vrit, ſine vehementi ſiccitate; nam aqua calens non eſt propriè Eſcharotica: ſed per accidens; per ſe quidem elixat carnem calefaciendo, & humectando, at Veſicas ſi excitauerit, & læſerit, id efficit non ſubita exiccatione, ſed mediata, primo nimirum humectando: ſic enim bullam aqua plenam primum excitat, qua diſrupta mox ſiccatur pars corrupta. Hinc Ariſt.2.de part.al.2. *Aqua feruens* (ait) *plenius calefacit, quam flamma, ſed flamma vrit, & liquat rem vri, aut liquari idoneam, quod aqua efficere non poteſt.* Quo conſtat ſine ſiccitate non effici vſtionem, & ſubdit. *Amplius vrit, quod per ſe calidum eſt, vt flamma, quam aqua feruens, ſed tactu amplius calefacit aqua feruens, quæ per accidens calida.* Hic manifeſtè roboratur noſtra Opinio. Nam ſi à calore fieret vſtio à maiori calore deberet fieri, ſed non fit à maiori calore humido, fit autẽ à calore ſicco, quamuis minore: ex quo ſequitur ſiccitatẽ ipſam non calorem vrere: immò cum aſſatio (ex Ariſt.4.meth.c.4.) ſit *Concoctio à caliditate ſicca, & aliena, & exceſſu aduſtio dicatur,* ſine ſiccitate fieri nequit.

Quod

Quod autem ſiccitas ſit qualitas actiua in doctrina Galeni, negare abſurdum eſt. Multa ſiquidem nominat ſiccantia, quæ calefacere, vel refrigerare non percipiuntur: Vnde 3. de comp. m. per g. 2. *Quia frigidum neruis inimicum, vulneribus neruorum med. exiccans ſummè, medium autem inter calefaciens, & refrigerans requirendum*. At ſi ſiccitas non eſſet actiua, cur Gal. 5. meth. 10. & 13. meth. 3. & alibi ſæpè. laudat ad vlcera Pharmaca exiccantia? cur non dic t calida. ſi idem eſt? ſi calida ſiccant ſimpliciter? Cur Hip. *In ſiccitatibus febres acutæ &c.* ſi ſiccitas non eſt actiua? cur Ariſt. 1. probl. 10. 11. & 12. ac Hip. 3. aph. 16. morbos à ſiccitate enumerant? cur Gal. in lib. ſimplicium. laborat exiccantium diſtinguere, & definire gradus? ſi ſicca non ſunt diſtincta à calidis? longè autem ableganda Cardani ſententia erit lib. 2. de ſubt. cenſentis caliditatem, & humiditatem ſolas eſſe qualitates actiuas, frigus verò, & ſiccitatem, non ſolum non actiuas; ſed nè paſſiuas quidem, tantum autem eſſe priuationes calidi, & humidi, cui ſatis Scaliger Exerc. 18. 19. & 32.

Sed tota difficultas eſt, vt explicetur, qua de cauſa Ariſt. calorem, & frigus tex. 8. citato appellarit qualitates actiuas, humiditatem verò, & ſiccitatem paſſiuas: nam ſi calor agit in frigus, patitur ſine dubio frigus à calore, & ſi frigus viciſſim reagit in calorem, viciſſim repatitur calor à frigore, & per conſequens, ſi huiuſmodi qualitates actiuæ ſunt in ſe inuicem, ſunt etiam paſſiuæ à ſe inuicem; & è contra, ſi humiditas patitur à ſiccitate, in illam hæc neceſſario agit, & ſi patitur ſiccitas ab humiditate, agit viciſſim in ſiccitatem humiditas, & per conſequens ſi huiuſmodi qualitates ſunt paſſiuæ à ſe inuicem, ſunt etiam à ſe inuicem actiuæ, neque apparet, quare potius hæ dicantur paſſiuæ, & illæ actiuæ, non autem è contrà.

Miſsis tamen varijs dicendi modis probabiliſsimus ille videtur, quem habet Philop. loc. cit. tex. 8. Alex. Auer. & S. Thom. 4. meth. initio. Albertus ibidem. trac. 1. c. 2. & alij communiter. Ariſtotelem ſolum conſideraſſe huiuſmodi qualitates in ordine ad illum effectum, quem peculiarẽ exercent in ipſa miſtione, præter illum enim quẽ omnes exercent, quaſi vniuocum producendo ſcilicet qualitatem aliquam ſibi ſimilem in partes ſibi proximas, etiam exercent aliud, quaſi æquiuocum, & ſecundarium. Calor enim non ſolum producit calorem in ijs partibus in quibus deſideratur; ſed etiam illas rarefacit, atque attenuat, & ea ratione congregat homogenea. & diſgregat heterogenea, frigus autem ſimiliter non ſolum producit frigus: ſed etiam omnia congregat, ideſt tam homogenea, quam heterogenea. Humiditas verò, & ſiccitas in omnes miſcibilium partes ſufficienter inductæ ſolum ſe habent, vt quid diſponens materiam ad terminationem recipiendam ab agente miſtionis, eamq. reddunt, neque nimis fluidam, neque nimis conſiſtentem; ſed aptè tractabilem, & terminabilem, quod eſt quoddam pati, & quoniam illud congregare, & diſgre-

gare, quod fit à calore, & frigore est quoddam agere, si quidem non fit ab illo, nisi in genere causæ efficientis: hoc verò, quod est reddere materiam mistionis facilè, & aptè terminabilem, ac tractabilem est quoddam pati, & solum se tenet ex parte causæ materialis; ideò illas Arist. vocauit actiuas, has verò passiuas, & in ordine ad illam actionem, & hanc passionem eas descripsit; atque ita etiam si, quo ad effectum primarium, & vniuocum omnes sint actiuæ, quo ad secundarium tamen, & quasi æquiuocum, quem peculiariter in mistione exercent, illæ sunt actiuæ, & hæ passiuæ, vt optimè explicat Zabar. lib. 1. de qual. elem. c. 5.

Quod autem dicitur à Doctissimo pariter, ac Amicissimo meo D. Camillo Goro fol. 8. Oleum Vitrioli vrens, & Causticum non posse hanc habere facultatem à siccitate coniuncta cum frigore. *Quia tunc ages* (eius sunt Verba) *vt agit ipsa terra; sed terra minimæ est actiuitatis, vt ostendit ipse lapis ergo maxima illa actiuitas non habebitur à siccitate coniuncta cum frigore.* Mihi veritatem indaganti (sine Amicitiæ læsione) hæc haud probantur. Quamobrem aduertendum esse dicam hic nobis esse sermonem de actione qualitatum in nostrum corpus; vnde experientia notum est, plurima frigida, & sicca in 1. 2. 3. & 4. gradu (vt dicunt Medici) manifestè agere, ex quibus sunt Cerussa, Calx lota, Mineralia vsta & lota, Mandragora, Hyosciamus, Cicuta, Tamarindi, quæ frigida, & sicca tertio gradu censentur; immò Papauer, Opium, Nux metella, quæ frigida, & sicca quarto dicuntur nimis validè agunt. si quis non credit, experiatur, an Opium agat vt lapis: sed quid moror? deneganda nè est lapidum actio eò, quod sint actu frigidi, & sicci: legant (si placet) quæ de Corallio, Magnete, Pyrite, Hematite, Lazuli, Gypso, & alijs scribit Diosc. lib. 6. si negauerint esse lapides, legant vltro, quæ tradit de Lapide Alabastrite, lapide Iudaico, Ætite, Ophite, Naxio, Saphyro, Iaspide; denique legant, quæ de Adamante epoto scribunt Cesalp. & alij, qui de Venenis agunt: immò multarum terrarum vires, & ἐνέργειας tradit Diosc. Quare deceptio est in non distinguẽdo actualem siccitatem à potentiali: aliter; quomodo potest denegari actio corporis exiccantis, & frigefacientis? (non dico frigidi, & sicci actu.) Qua experientia? Si corpus calefaciens, & humectans agit, cur non frigidũ, & siccans? si contrariorum eadem est disciplina. Vnde tù rectè quidem. fol. 87. frigiditatem calori æquiualentem facis: sed fol. 88. humiditatem, & siccitatem aliorum pedissequas (vt inquis) non placet, nisi dicas per accidens, & sic explicanda censemus Arist. verba 4. Meteor. initio. *Videntur* (inquit) *in omnibus caliditas quidem, & frigiditas terminantes, & copulantes, & transmutantes, & ea, quæ eiusdem generis, & ea, quæ non eiusdem generis, & humectantes, & exiccantes, & indurantes, & mollificantes.* Dicimus enim calidum, & frigidum primo, & per se transmutare ea, quæ eiusdem sunt generis, deinde secundario, & per accidens ea, quæ alterius sunt generis. nimirũ, per aliam combinationem, non enim exiccat caliditas nisi

sicci-

ſiccitati fuerit coniuncta; non igitur per ſe, ſed alterius auxilio exiccat.

Mea ſententia eſt ignem non per calorem, ſed per ſummam ſiccitatem (vt dixi) vrere vſtione Eſcharotica. Nam quæſo, aduſtionem ab igne Medici cur adhibent omnes? non vt calefaciant, igitur, vt exiccent. Albucaſis de Cauterijs: hanc prohibet in complexione ſicca, laudat ad omnes morbos cum materia. Deinde putredines partium non nè fiunt à putrida humiditate cum calore? quam ob rem Gal. 3. de comp. med. per g. 2. *Putrefacientia omnia* (inquit) *ab humiditate, & caliditate id patiuntur.* Curationem ideò per ſiccantia, & refrigerantia moliendam eſſe voluit. Si ergo vlcera putrida, & depaſcentia, non ab acri cauſa; ſed humida, & calida. ex Galeni Methodo frigida, & ſicca poſtulant. (poteſtate dico non actu) Medici igne vrentes, quid præſtant? augent nè calorem? certum: quid igitur ignis, vt calefaciens proderit, an vt contrarium indicationi, oberit potius? certiſſimum. fatendum igitur erit non iuuare, niſi, vt ſiccans. At rogo, ſi poſſemus habere medicamentum ſummè exiccans, nec calidum, immò frigidum: nonnè eò quod vtrumque compleat calculum igne præſtantius? non negabis; an nè calido, & humido ſi oppoſueris frigidum, & ſiccum putredinem facilius compeſces, quam per calidum, & ſiccum? ob hæc igitur audeo hic aſſerere in ſiſtenda putredine præſtantius habendum Oleum Vitrioli, vel ſulphuris ſua vſtione, quam ignem ipſum. Albucaſis autem, cæteriq. præferentes Cauterium actuale potentiali, intelligunt de rebus ſepticis, quæ carnem corrumpunt caliditate, & humiditate, vel de Cauſticis calidis, & ſiccis, non de noſtro Cauſtico frigido, & ſicco ipſis ignoto. Immerito autem Ludouicus Mercatus in ſuis conſultationibus timet vſum Olei Vitrioli ad vlcera faucium: non enim niſi quas tetigit partes ſummè ſiccando cauterizat; proximas verò, non ſolum non lædit; ſed valdè roborat, repellendo, conſtringendòq. contra quam cætera actualia, vel potentialia cauteria. Prætereà in Oſſe Vitiato vſtionem conferre Chirurgis in confeſſo eſt, ob ſiccitatem, non ob calorem. Oleum autem Vitrioli adhibitum, & os denigrabit, vt ignis, & ſeparabit, ac vehementer vrendo conferet, an vt calidum, vel vt frigidum? minimè vt calidum; non enim Gal. 6. aph. 45. dixit. Os Vitiatum calefaciendum, vel frigefaciendum; ſed ſiccandum, & quia ex Hip. 1. aph. 6. Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νουσήματα, αἱ ἔσχατοι θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται. Extremè vitiato oſsi, extremè exiccans, vt ignis, vel Oleum Vitrioli conueniet. Quid, me ſubſannas? à frigido, tamquam à calido, ſi vtrumque ſiccum fuerit, dubitas viri quicquam poſſe? Siccum aio validum, vrere cum frigore, ſi tenuium partium, cum calore, ſi craſſarum. Sicca autem frigida, & craſſarum partium vrere nego, ſicut nec calida, ſiccaque cum tenuitate vrere concedo, quod conſtat, quia magis vrit Carbo, quam flamma, immò æthereus ignis (vt prædicant Philoſophi) ob exactam partium tenuitatem vrere ineptus eſt. Siccitas autem duplex eſt terrea, & ignea, magis actiua ignea, quia tenuiorum partium: quod ſi terrea

acquirat tenuitatem partium, & suæ substantiæ, cur non ita actiua? Calor quidem suo contrario frigore non alia de causa potentior, quam ob tenuitatem, cum contrariorum eadem sit vis. Quare *nihil probibet* (vt verbis vtar Arist. sec. 3 prob. 25.) *rem eandem à contrarijs effici, dummodo non agant modo eodem; sed diuerso, nam vritur, & à gelu, & à calore, vbi gelu calorem coegit vniuersum*. Hic Arist. per vrere intellexit validè siccare, quod fieri potest à siccitate, tam cum gelu, quam cum calore, id autem clarè distinxit Gal. noster 1. de simp. m. f. 18. *ignis* (inquit) *hemorragiam sistit, non quod calefaciat, sed quod vrat*. quibus verbis manifestè nos docet, vstionem, & Escharæ generationem non fieri à calore ignis; sed ab alia ipsius facultate, quæ proculdubio non est, nisi exiccans vis, quid autem est aliud Eschara, quam substantia nimis exiccata? corpus semiustũ dicit Gal. 3. de Alimento. com. 21. nam cinis est omnino vsta.

Sed experientia ipsa docet siccitatem esse, illam, quæ Escharas gignit, misceamus E. C. duo validè siccantia, extremè calidum alterum, alterum verò extremè frigidum, vt verbi gratia Opium frigidum, & siccum quarto (vt prædicant) vel aliud simile, cum Sublimato, Arsenico, Euphorbio, Cantharidibus, aut alio calido, & sicco in quarto, caliditas quidẽ refrangetur, si credimus Hip. de Vet. Med. cvbi. *Quo tempore* (inquit) *ipsa inter se permista simul frigidum, ac calidum fuerint non lædunt. Temperamentum enim, & moderatio contingit frigido à calido, & vicissim calido à frigido*. Siccitas autem sola intensa permanens, aget, quæ si tunc vret, ipsa sola Escharotica dicenda. Vice versa misceto duo calidissima, alterum summè humidum, summè siccum alterum, (loquor de potentiali actione, non de actuali in aqua calida) non exiccabunt certè, nec vrent causticè, quamuis etiam humidum potentia non sit in extremo, vt sublimatum, præcipitatum, cum Cucurbita, Portulaca, Aizoo, Lacte, Butyro, &c. neque enim crustas vnquam gignent retusa summa siccitate: immò nec etiam si mista fuerit tantum aqua tepida.

Afferri etiam poterit pro nostra roboranda sententia Gal. locus. 5. de med. fac. 27. *Quæ autem adeò excalefacere possunt, vt Escharam moliantur, & vrant quarti, sic quoque quæ vehementius refrigerant, adeò vt extinguant, & ipsa quarti sunt Ordinis. Cæterum nullum inuenire est, quod quarto Ordine desiccet, quod non etiam vrat: nam quod summè desiccat omninò id etiam de vrit*. Hic Gal. duo asserit primo summè calida, scilicet in gradu quarto, vrere; sed subintelligitur debere etiam esse summè siccantia, aliter non vrent, quamuis calidissima, vt de aqua feruenti ex Arist. diximus, quę corrumpet carnem non aslabit, & incrustabit, seu vrendo exiccabit. Secũdo asserit manifestè Gal. omnia sicca in quarto vrere, nec apposuit an calida, vel frigida; sed rationem reddit, quia quod summè desiccat, omninò id etiam deurit. Opium autem, si est siccum quarto (vt dicunt,) quia frigidum, & crassarum partium, ideò non vrit.

Si dicas Oleum Vitrioli esse corrosiuum, adeò vt Metalla erodat, ligna, Vestes,

Veſtes, Vitra frangat, & inteſtina exulceret, vt diximus, veluti Calx, & eius aqua, Aqua fortis, Aqua ſalis, Arſenicum, Sublimatum, præcipitatum &c. quæ ſunt calidiſſima.

Reſpondeo omnia hæc calida agere, vt ſicciſſima, Metalla enim eroduntur etiam ſiccitate acidorum; plumbum in Ceruſſam, Æs in ærugi-nem ex Aceto, & ſucco Limonum, ac etiam Oleo Vitrioli, & Sulphuris commutantur. Ligna autem læduntur à ſiccitate, & penetrabilitate Olei Vitrioli non à calore. Veſtes quoque ob ſiccitatem huius lacerantur, & veluti antiquę reddũtur, quod colligitur ex Gal. 3. in 6. Epid. 1. *Veſtes* ( inquit ) *attritæ, & vaſa poſt diuturnos vſus ſe ipſis aridiora euaſiſſe cernuntur*. Tempus enim exiccat reſoluendo humidum innatum, non calefacit, & veſtes nimis exiccatæ lacerantur, non nimis calefactæ; igitur Oleum Vitrioli veſtes nimis ſiccando corrodit, & lacerat. Vitra ob ſiccitatem tenuium partium franguntur, ſic inteſtina à ſumma Acida ſiccitate vlcerari diximus, non à Calore. Colliquatio autem Coralliorum, & Margharitarum, æquè præſtatur à ſucco Limonum, ſine controuerſia frigido, & ſicco; immò in terræ viſceribus, cenſuit Agricola optimus foſſiliũ indagator. lib. 3. de ortu, & cau. ſubter. *Ab aquis Acidis metalla corrodentibus fieri Chryſocollam, Cæruleum, Atramentum Sutorium, & huiuſmodi alia*. Hic autẽ aduertamus oportet, nec Acria, nec Acida, nec alia huius cenſus agere, niſi per qualitates ſuas, cum ſapores non agant niſi in ſenſum guſtatus. Acidum ergo aget per frigiditatem, & ſiccitatem, & alia ſimiliter per proprias qualitates primas, quæ ſolæ ſunt actiuæ, quibuſque mediantibus aliæ etiam ſecundæ videntur actiuæ.

Adhuc etiam Oleum Vitrioli frigidum, & ſiccũ eſſe elicio ex tuis met verbis: ſiquidem Paracelſ. vt tu citas. fol. 29. ſcribit. *Oleum ex Colcothare diſtillatum naturam habere terream*. Ergo frigidam, & ſiccam, & grauem, non enim alia eſt terræ natura. & fol. 86. ſiccandi eius facultatem non docere eſſe calidum optimè ſcribis, nec minus aptè fol. 87. probas frigus ſua actiuitate æquale calori, poſſe eadem, ac ille efficere, vnde vrere &c.

At non quieſcent aduerſarij, nam Gal. 3. de temp. 4. *Quæ rodunt poteſtate calida*. & 5. meth. 3. *Eſcharotica ſunt ignis, & ignea*. 4. de ſimpl. m. f. 18. *Terminus acris ſaporis eſt vrere*. & lib. 5. c. 15. *Cauſtica, & Eſcharotica calidiſſima ſunt*. Paulus etiam lib. 4. cap. 53. *At Scopus* ( inquit ) *cruſtam generantium medicamentorum erit calor cum aſtrictione*.

Satisfaciam concedendo ignem, & calidiſſima vrere, ſed non ſimpliciter, verum quatenus ſicciſſima etiam, & ſicut. *Ignis quilibet* (ex Ariſt. & Auer. 2. de Cœlo tex. com. 42.) *calefacit, non tamen conuertitur, quod quodlibet calefaciens ſit ignis*. Sic etiam dicemus, cum ignis quilibet exiccet, & vrat, non tamen conuerti, quod quodlibet exiccans, & vrens ſit ignis, cum alia etiam idem operentur, vt diximus. Similiter ad

Paulum

Paulum respondendum; qui non nouit Escharotica nostra frigida, & sicca ex Oleo Vitrioli, & Sulphuris.

Sed quid ad aduersarios negantes Vitrioli Oleo Aciditatem lippis, & tonsoribus nimis notam, nè verum fateri cogantur, Mendacium mendacio tegentes, ne vè frigidum fateri compellantur. Pueros nè, Vetulas, Rusticosq. conuocabimus, vt litis doctissimorum inter se, præinsania, altercantium Virorum Iudices adstent? an in Antycyram mittemus?

Agè, si placet, examinemus, quæ præclarissimi viri scribunt; ex quibus Doctissimus Gorus. fol. 7. sui tractatus. *Exurere* (inquit) *vlcerare, & humiditates absumere maximam requirit actiuitatem, sed frigus non est tantæ actiuitatis ergo exurere &c. non potest frigus indicare, nil aliud nisi calorem ergo illum indicabit.* Equidem in Arist. neque Latinè reddito, neque in Vero textu Græco adhuc legi, frigus non esse summæ actiuitatis, si fuerit in summo gradu, nòn nè agit, & reagit in calorem contrarium? non nè maximum frigus sæpè superat maximum calorem? Exponendus est Hyeme nudus nocturno sæuienti Boreæ, qui hæc non credit, vt experiatur frigoris potentiam, vel niue sepeliendus, tunc certè fatebitur inuitus maximam frigoris actiuitatem. Clarissimus verò Vincentius Alzarius. fol. 406. lib. sui de morb. cap. *Quod ipsi* (ait) *Acidum prædicant, nos contra Acre vocamus, & vt illud frigidum, ita hoc impensè calidum, ac ferè igneum est.* Ad quid deperditio ista? Affert etiam Cardanum. *Chalcantho extrahi* (scribentem) *Oleum Acutissimum, & calidissimum,* & Hieronymum Rubeum Acre esse dicentem, quibus ego etiam addam, si placet, doctissimum præceptorem meum Andream Cæsalpinum de Metallis. c. proprio. Acerrimum asserentem. & alios plures addere possem, sed cur? Acutissimum, Acerrimum est ergo Calidissimum, decipiuntur; ostendunt suam in Chimicis inexperientiam, æquiuocant Miselli Logicastri, sciant ergo ex Vitriolo duplex extrahi Oleum alterum potabile, & Acidũ, de quo est quæstio. Alterum verò non potabile nigrum, & Acre Chimicis requisitum, de hoc non loquimur, hoc abstinemus, sed hoc Cardanus intelligit, non potabile. Quod si contra hanc Veritatem recalcitrantes dixerint, Oleum Vitrioli potabile nobis Acidum dictum ab Auctoribus Acre vocari, distinguam Acredinem duplicem esse propriè dictam, & communiter. Propriè dicta Acredo calidissima est, quam tamen Diosc. vt notat Gal. 11. de s. m. fac. 1. c. de Adipe nomine Astrictorij quandoque vocauit. Communiter autem dicta Acredo pro Mordacitate sumitur; ideò Acre, & Mordax quandòque Auctores confundunt. vt Cor. Celsus. qui ob excellentiam Hip. Latinus iure dicitur lib. 2. c. 22. *Acria sunt* (interpretor Mordacia) *omnia, nimis austera, omnia Acida, omnia salsa, & Mel quidem, & quo melius est eò magis, item Allium, Cepa, Eruca, Nasturtium, &c.* Acida igitur ob Mordacitatem appellantur Acria, sicut etiam Italice nomen *forte* tribuimus tam Acido, quam Acri. Cepam enim Acerrimam dicimus.

mus. *Cipolla forte*, ideſt Mordacem, & Sinapium Acerrimum *Moſtarda forte*. ita etiam Vinum Aceſcens, & Acetum validum dicimus *Vino forte*, *Aceto forte*, immò ſuccum etiam Citri, Limonis, Acidum vocamus *Sugo forte*, ſic etiam Arancia, & Granata Acida nuncupamus *Naranci forti*, *Granati forti*. ideſt ob validam Aciditatem mordacia, quæ autem parum ſunt Acida medij ſaporis vulgus dicit, quę verò nihil habent Aciditatis dulcia vocat, vt diſtinguat Mordacia, à non Mordacibus; denique etiam apud Medicos quoſdam, & Pharmacopeos vſus quidam adoleuit, vt Latinè etiam Aciditatem Citri, Limonumque Acredinem vocent, vnde leges apud multos. *Conſeruam Acredinis Citri*, *Sy. de Acredine Limonum*. Nomen enim Italum *Agro de Cedro* in Acre commutarunt, aptius autem alij Sy. Aciditatis Citri, & conſeruam è Acido Citri dicunt, dixerat etiam Gal. 4. de ſim. m. f. 17. Mordacitatem eſſe communem Acri, Amaro, & Acido, & 5. de loc. aff. 5. ſcribit, Acida, Acria, & Salſa mordicare. Sed Acre, & Mordax pro eodem ſumens de Atten. vict. ratione 1. *Quæ ſenſus noſtros* (inquit) *pungunt, ac mordicant ea omnia palam eſt acria eſſe*. Si igitur omnia, quæ mordicant ſunt Acria, ea quæ ſunt Acida, vt ſuccus Limonum, acria etiam ex Galeno erunt, ſed intelligendum mordacia. & 4. de ſim. m. f. 18. apertè docet nomen Acredinis eſſe commune pluribus, quod autem reſtrictius dicitur Acre, id nominis ſumere, non vt proprium, ſed per excellentiam, ſeu potius defectu proprij nominis. *Itaque* (inquit) *ſi vel ex plebe quempiam roges, quid vocet edulium Acre, dixerit ſanè, quod fortiter dum guſtatur excalefacit, veluti Piper, Pyrethrum, Naſturtium, Allium, Cæpa, & id genus omnia: videturq. id adeò ſaporum genus, cum appellatione careat propria, communi per Excellentiam vſum. Nam cum & ſapor Amarus, & ſapor Acidus, ambo etiam Acres ſint* (ideſt Mordaces) *in quocunque tamen corpore vehementem comperimus Acrimoniam, tametſi neque Amarum ſit, neque Acidum, Acre appellare conſueuimus*, ſed 1. de ſim. m. f. 37. eſt locus ab aduerſarijs non bene intellectus. *Porro* (ait) *quæ mordicant, roduntque, idque cum valida quadam caliditate, Acria vocantur, ſin hæc abſit* (ideſt caliditas.) *Acida, cæterũ hæc fermentandi quoq; vim obtinent.* nonnè Gal. mordicantia, & rodentia ſine caliditate, eſſe Acida aſſerit, cum caliditate verò Acria; & quæ ſunt Acida etiã fermentari? iure igitur dicemus Oleum Vitrioli vim fermentandi habentem eſſe Acidum, & ſine caliditate mordicare, & rodere. Quare aſſero Auctores dicentes Oleum Vitrioli potabile Acerrimum intelligendos loqui communiter ſumpta voce Acris ſcilicet pro Mordaci, nec loquutos de vera, & per excellentiam dicta acredine. Quodſi contendant Aduerſarij ſecum iſtos corruptos habuiſſe ſenſus, intellexiſſeq. de calida Acredine, quid tandem ad nos? deceptos etiam in guſtu dicemus, quia rem parum conſiderauere, & fortaſſe contrà quem ſcribebant liquorem nũquam deguſtarunt. Nam ſi 4. 6. 8. & ad ſummum 10. attulerint Acerrimum dicentes. Nos aſſeremus

mus 200. & 300. & plures Auctores Oleum, & spiritus Vitrioli Acidissima testantes, nec hos tantum, sed vilem plebem, puerorum, muliercularumque cateruam: ita testium numero superabimus. Sed nemo ante experimentum iudicium ferre deberet, hic quidem facile est experimentum. Verum quia Mordax est nimis purum linguæ inditum, ideòque ob imbecillitatē nostri sensus non possumus percipere, an Mordax Acre, vel Mordax Acidum. Cum vehemens sensibile lędat sensorium ex Arist. Conandum erit mordacitatem, & vehementiam imminuere nè sensum lædat, & percipi possit. Aqua igitur pura ἄχυμος, seu saporis omnis expers in iusta quantitate erit addenda, atque tunc gustus, palatusque cuiusque rectus poterit esse iudex saporis esse Acidi, non Acris, dentesq. illigantis, vt Acida. interim ostendant mihi acre, & calidum aliquod quod dentes, ita illigare soleat.

Sed miror Hieronymum Rubeum virum expertū Canicularibus diebus eo abstinendum iubentem, (nisi id censuerit ob multam siccitatem) aqua enim mistum, cum non valdè sit exiccans, frigidissimum etiam experimur, & instantaneum sitis validæ remedium, non aliter ac Rusticorum more, qui Mesis tempore diluto vtentes Aceto, se eò refrigerari, & sitim extingui vno fatentur ore.

Atqui flocci facienda difficultas est illa (quam commouet Alzarius ab alijs desumpta) de Chalcanthi Oleo Acido, & dulci; nam de eo ipso Acido ego loquor, quod insequitur ipse.

Aliter etiam impugnantes aduersarij *Chalcanthum, & Sulphur eiusdem Naturæ* asserunt ex Quercetano. agè concedā pro nunc. *Sed Oleum non aliud est, quam substantia quædam ex Vitriolo per artem extracta.* etiam concedam libenter, quid modo inferent, esse calidum in quarto? falsissimum. *Acre est Chalcanthum vstum.* Ergo Acre Oleum? Expressum mendacium, alia vis partis, alia totius, alia vis Olei, alia Chalcanthi.

Quod autem scribunt. *Extractum ipsum Chalcanthi nil aliud est, nisi ipsa substantia Chalcanthi posita in statu perfectiori longè à partibus crassioribus, & terrestribus &c.* Quid quærunt? Quorsum hæc? errauerunt viam. Quod Chimicis propriè dicitur extractum, non est aliud nisi Vitriolum ipsum purificatum, quale vidimus apud Henricum Coruinum, non per distillationem elaboratum. *Easdem vires* (pergunt) *inexistere Oleo Vitrioli, quæ Vitriolo prius inerant non solum specificè; sed etiam numericè, & perfectiori, puriorīq. modo, & gradu.* Sed quantum fallantur, & contra experientiæ stimulum recalcitrent aduertant rogo. Vitriolum crudum dicitur Atramentum ob tincturam nigram: sed ab Oleo ostendant nigredinem. Ostendam ego summam albedinem, si aliquot guttas instillauero in sal resolutum tartari, Oleum dictum, vel etiam in aquam ardentem, immò Oleū Vitrioli, adeò est contrarium nigredini Vitrioli crudi, vt si litteræ nigræ Oleo Vitrioli liniantur, vel dispereunt,

ſpereunt, vel nigrore deperdito ferrugineæ apparent, ſic in tecam atramentariam Oleum hoc iniectum nigredinem diſſipabit, ſciant autem hanc tincturam non aſcendere; ſed relinqui in fæcibus vſtis, nobis expertis crede, qui hæc ipſa ſcripſimus cum Colcothare vſto, aqua pura diſſoluto ad litteras rubeas, aqua aſtringenti ad nigras conſcribendas, in Oleo nullam comperimus nigredinem. fermentationem prçterea Oleo ſimilem oſtendant mihi in Vitriolo crudo. Crudum præterea Vomitus excitat, quos reprimit Oleum. Itaque diuerſa eſt tinctura, diuerſus color, diuerſus ſapor, conſiſtentia, vires denique diuerſæ. Quin etiam in Oleo Sulphuris idem eſt accidere dicendum. Crudum enim vt cuique eſt notum, maximè combuſtile, at ipſius Oleum acidum. *Tantum abeſt id flammæ concipiendæ eſſe obnoxium* (prout Mar. Rulland. de luis Vng. q.c.8.) *vt etiam quo minus incendatur puluis Pyrius Capiſtro ſit, impedimentòque, ſi vel tantillum eius huiccè fuerit inſperſum.* Itàque ſupradicta aſſerentes ſuam in Chimicis propalant ἀγνοίαν, καὶ ἀδοκιμασίαν. Oleum Vitrioli non eſt extractum, vt vocant communiter περὶ χημείας periti, ſeù ſimplex ſeparatio partium tenuiorum à craſſioribus, & terreis, ſed eſt determinata ſeparatio: cum enim Heterogeneum ſit Vitriolum per hunc diſtillandi modum non extrahitur niſi pars Acida, & frigida, quæ in toto erat miſto, alijs derelictis partibus calidis, acribus, ſalſis &c. Vnde ſi cum Libauio ipſis citato, & nobis noto, dicere maluerimus has diſtillationes eſſe ſimiles alterationi, non autem veræ mutationi in ſubſtantiam, dicemus hoc Acidum Oleum prius in Vitriolo contineri, non de nouo generari, ſic etiam erit concedendum eidem Libauio, & ipſis, poſſe fieri extractionem purioris ſubſtantiæ remanente temperie, cuius quidem remanentis temperiei certiſſimum indicium, & ſignum eſſe ſcribit Odorem, & Saporem extractæ eſſentiæ proximum temperiei ſubiectum. Senſus enim erit id quandòq; per artem effici poſſe, & in aliquibus non autem ſemper, & in omnibus id ſequi. Nam cum non adſunt ſigna, & qualitates præcedentes, nec etiam temperiem adeſſe Libauius ipſe dicet. Ob id in aqua Roſarum ſtillatitia cum deſint tinctura, & vis ſolutiua, quis impudens affirmauerit Roſarum vim totam quòque, quæ prius Roſis ipſis inerat, eam habere? ſic nos Oleo Vitrioli, non remanentibus tinctura, ſapore, colore, odoreq. nec temperiem, nec vires eaſdem remanere poſſe iure affirmabimus, ſicut Oleo Sulphuris, ablata ſi fuerit combuſtibilitas, vires Sulphuris erunt denegandæ.

Scribit alter. *Ignem calidas vires diſtillatis impertiri*, ſed pueriliter nugatur. Actualem quidem calorem diſtillandis in eo actu communicari, dum rareſcunt, dum aſcendunt, concedam, at dum deſcendunt, dum non amplius aeream retinent, ſed aqueam induunt formam, dum actualem amiſerint calorem, potentialem nullum retineri affirmabo, addit. Galen. 7. de comp. m. loc. 2. Arteriacum illud medicamentum, quod in Ordine 10. eſt. *Ad prunas adhuc non ardentes lente decoquere ſe noluiſſe,*

*fuisse, dixit, nè quid indè Acre, ac fumosum acquirens, eidem Acrimonia minimè necessaria adijceretur*, sed non intelligit (pace tanti viri dixerim) Galenum clarè loquentem, qui non calorem ignis; sed fumum timet, quid est calidius pruna nè optimè accensa, an flamma, vel carbo semi ignitus, & fumans? si nescit experiatur. Sciat interim fumum timere Galenum, quia Saporem, Odoremq. Coctorum quandòque lædit, vt coqui optimè norunt, & colorem quandòque etiam vitiat, vt scribit Gal. in Cerato Diapalma, & fumi odorem, nidoremuè decocto impertitum Acrimoniam vocauit Gal. impropriè quidem, alioqui est impossibile ignem imbecilliorem, Acredinem, & calorem intensiorem decocto impertiri posse, validiorem vero ignem non item.

Sed contra sensum etiam pugnat Alzarius. fol. 407. *Oleum Vitrioli Acre, aqua multa refractum Acidiusculum iudicari, tamen impensè calefacere, & exiccare*, igitur admistio aquæ efficit, vt quod Acre, calidumq. est, videatur gustui Acidissimum? proh dolor, quæ maior poterit esse pertinacia? fatetur inuitus Aciditatem, & ab Acredine esse pronunciat, cur si mutat sensum gustus non vires etiam? assignet aliud in confesso Acre, quod Aquæ iniectum Acidum appareat, an Piper, Euphorbium, & huiusmodi aliud? certò habeo illum nunquam degustasse hunc de quo agit Oxicratum: decipimur omnes in sensu gustus, ipse solus inculpatum habet palatum, vereor nè alia sit læsio.

Ad Costeum Aquas Acidorum fontium Acres dicentem facilis est responsio, cum enim tota Medicorum scola, plebsq. cuncta Acidas prædicent, & inde nomen vbique habeant, deceptum esse manifestè pronunciabimus, oppositorum ob testium numerum etiam conuinctum (vt leguleî dicunt.) Quod autem sitim sedet Posca Mineralis, vti Vegetabilis, vel etiam à calido, & sicco, experientia ipsa docet, Chalcanthomasticis haud nota. Et quidem vtile Oleum Vitrioli non purum, quia siccissimum: sed cum aqua frigida, & actù humida, à qua Olei siccitas retunditur, frigiditasq. combinatur, & ita sitis sedatur, quæ postulat non potentia frigida, & humida; sed actu talia; vnde etiam quandòque purum Vinum, non dilutum, quod actu frigidum, & humidum fuerit sitim sedauit, quamuis potentia calidum, siccumq.

Atque hoc addam Corollarij loco Cardanum, quem afferunt Aduersarij, nostram videri roborare sententiam, tradit enim Aquam fortem dictam Vulgo, ideò rodere, quia siccissima, non quia calidissima, eius hæc sunt Verba ab Euomino allata fol. 451. *Videamus* (ait) *cur aqua hæc adeò potens euadat; namque manifestum docet experimentum, sicciorem partem vi ignis attenuatam, vim igneam, ac rodentem accipere. Sed cur non ardet Aqua separationis, vt ardens? quia ardens calidior est, ac tenuior, & minus sicca, ideò ardere potest, non tamen erodere, illa verò erodere potest, non ardere, parumq. calefacere, simili igitur ratione, quod è Chalcantho Oleum vi ignis excipitur, cum siccissimam partem in humorem*

*vertat, acutissimum est, atque linguam, vt ignis ferit.* Ex quibus Verbis quilibet manifestè cognoscere poterit Cardanum appellasse Acutissimum Oleum Vitrioli, eò quod sit siccissima pars ipsius Vitrioli, & erodere ob siccitatem, cum tamen ex ipso Cardano parum calefaciat, acutissimum etiam dixit, quia linguam ferit, intelligens mordacissimum, & hæc satis circa hoc quæsitum, in quo diutius immoratus sum, quia tota disceptatio in hoc ferè solo videtur posita esse, vt calidum, vel frigidum statuatur.

## DVBITATIO III.
### De Generatione Aciditatis, & de Sale Vitrioli.

TErtium, quod inquirere mihi aptum visum est in ordine erit. Quomodo Acetum hoc Minerale sortiatur Acidum Saporem, quem Vitriolum, nec crudum, nec vstum habere sentitur, vt etiam Acetum Vini saporem acquirit Acutum, prius in Vino minimè perceptum. Tu fol.90. adumbras Vini conuersionem in Acetum, & primo dicis, *id fieri partim putredine quadam,* quod nihil in se continet artificiosum, cum sit nimis vulgo notum, mox subdis, *aut fermentatione, &c.* sequatur ergo, vel sequestrationem, vel separationem, vel euanescentiam, & vtcumque appelles: quo pacto contraria prodibunt? an præexistebat sapor Acidus? affirmare videris. an generatur de nouo? Ego sic imaginor dubitantis in modum, Non certa asserentis, nè illud Martialis obijcias.

*Cur in theatrum Cato seuerè venisti?*
*An ideò tantum veneras, vt exires?*

Vt autem meam explicem opinionem, distinguo primum cum Gal. 4. de simp. m. f.7. Acidum in Omphacinum, & in putridum, & iterum vtrumque in simplicem, & complicatum. Theophrastus autem definiens Acidum 6. de caus. plant. cap. 1. non has omnes species videtur complecti, ait enim. *Acida, quæ putredine attenuata iam fuerint, venasq. subeant angustas, & agitent, fermentent, spumam excitent, atq; astrahere possint,* sed ante hunc Plato in Timeo isthæc attulit. *Hæc eadem ex putredine attenuata angustas Venas ingrediuntur, coguntq. partes interiores, tam terrenas, quam quodammodo aereas iactatas inuicem commisceri, permistasq. circumlabi alias, & alias ingredi, ingressùque suo penetratas concauas, tensasq. efficere, vbi concauus, & ampullosus humor aeri circumfunditur, isque humor aliàs terreus quoquo modo est, aliàs purus, fitque ex aqua concaua Vasculum aeris humidum, atque clarum. Sed quod ex pura nascitur aqua perlucet vndique, ampullàq. vocatur, quod autem ex lutulento magis humore simul agitato quidem, elatòque, & circumtenso conficitur ebullitio, bulla, fermentumq. dicitur harum omnium passionum causa Acida qualitas appellatur.* Multa afferri

ferri possent, sed vt breuiter me expediam. Acidum immaturum simplex erit conspicuum in Oxalide, Oxitriphyllo, Oxiphenicijs, Cerasijs Acidis, Acetositate Citri, Limonum, Aranciorum, & huiusmodi alijs. Acidum verò immaturum non simplex sæpè cum astringenti copulatur, dicuntq. Acerbum, vt est in Omphacio, in Malipunici granis, ac in fructibus Ribes, Berberis, Crespini, & alijs quibusdam. Tertio Acidum putridum simplex spectare licet in Oxigala, & lacticinijs Acidis, ac Ptisana Hordeacea, quæ diutius asseruata accesserit. Denique Acidũ putridum Compositum, cum pauca nimirum Acrimonia mistum (quod imaginatus est Galen.) & reperire est (vt aliqui volunt) in Aceto Vegetabili ex Vino, Ceruisia &c. nos addere poterimus Acetum Minerale Sulphureum, & Chalcanthinum. quorum omnium causas, tales ex nostra Officina depromemus, nè censeas hæc Nos scripsisse, vt alios redarguamus, cum potius vt redarguamur ipsi, hæc ediderimus, vtque alios irritando, & discamus, & veritatem assequamur. Acidum Omphacinum tam simplex, quam cum astringenti mistum, seu Acerbum à debili proprio calore effici, videtur colligi ex Gal.4.de sim.m.f.15.ita vt alteret,& mutet quidem, verum non superet, nedum euincat. Idcirco fructus multi ante maturitatem Acidi, Acerbiq. sunt; nam calor ipsos paulatim alterat, sed nondum alterauit perfectè. Putridus verò Sapor Acidus non fit à calore alterante, & concoquente, qui sit adhuc in motu; sed cessatione motus, derelinquente calore suam materiam, & ob imbecillitatem cessante ab alterationis motu, vnde quiescens, materia ipsa perfrigeratur, & acescit, sic in nobis debilis calor cibos concoquens ipsos primum aliquantum alterat, nec prę imbecillitate perficere valens quiescit, quò materia recrudescit, perfrigeratur, & acescit, hinc ructus Acidi, quos ab intemperie frigida (idest diminuto calore) fieri scripsit Gal.4.de sim.m.fa. 12.& 6.Aph.1. Nec contra nos est Trallianus lib.7.c.14. quamuis à calida intemperie huiusmodi ructus, contra Gal. fieri quandòque probare intendat. Nam huic responsum erit, non esse tantum Caloris Naturalis, quantum requiritur ad perfectam talium ciborum coctionem, siue defectus sit ob intemperiem frigidam, siue ob calidam. Etenim si exterior superabundat (quia internus ab externo dissipatur, & resoluitur) innatum calidum ab ambiente diminutum imperfectiores necesse est efficiat actiones, & incompletas, atque agere etiam cesset; nec mirum, iam diu aduertit hæc Gal. & adnotauit. 4. de sim.m.f.14. *Ita comparatum est* (inquit) *vt res quælibet in propria seruetur Natura calore proprio, corrumpatur autem ab immoderatione extrinseca, nempè caloris alieni, aut frigoris abundantia. Atque quod ab vtròque efficitur vnum est, non tamen vnus generationis modus, quare non æquè idiotis omnibus facilis cognita est hæc corruptionis ratio. Etenim vbi quid rerum calidarum à frigore deuictum est, nè vulgo quidem ignotum est. At vbi à circumsistente foris calore validiore digestum, ac dissipatum est, eos sanè, qui circa Naturam*
*exer-*

*exercitati non sunt latet ignorantes caliditatem mediocrem omnibus esse vtilem, immoderatam verò non minus frigiditate noxiam.* Hinc Acidum simplex putridum, calore interno resoluto ab externo non nimis valido fieri dicemus (non si validus externus, vt ab igne ebullitio) qualis sapor Lactis, & Lacticiniorum, & Ptisanæ &c. cum enim hæc imbecillimum obtineant naturalem calorem, dũ accedit externus paulò vehementior (non quidem multò) innatus statim resoluitur: vnde à Naturali, & proprio derelicta refrigerantur, recrudescunt, ac imperfectum, & crudum recipiunt saporem. Conseruantur autem ab externo frigore; nam densando superficiem prohibet nè tam facilè insitus euolet calor. Nec recipiunt hæc Acrimoniam à calore putrido ob imbecillitatem agentis; qui parum retentus fuit, ideò vestigia non reliquit, tum etiam ob materiei ipsius naturalem aquositatem, vel forsan quia neutiquam verum sit Acida ex putredine acquirere Acrimoniam, sed de hoc postea ex nostra sententia. Acidum autem Acutum, qualis (ex mente Gal.) Acerrimi Aceti Vinei sapor fit Calore proprio dissipato, & debilitato à putrido, externo, præter naturali, ab hoc enim resoluitur, & expellitur naturalis, & internus, ac quodammodo occiditur insitus Calor. Quocirca 1. de sim. m. f. 17. *Acetum Vinum esse mortuum* asserit Gal. expulso enim naturali calore, humor ille reliquus refrigeratur. (sic Gal. *Acetum, Vinum frigidum,* dixit) ac recrudescit, retinens tantum (vt imaginatus est Gal.) particulam quandam putridi caloris, fortasse residẽtis, pro subiecto, in fœculenta quadam pauca ipsius substantia, qũa Acetum Acrimoniam quandam paucam sortitur. ita deinceps non simplex illi sapor inest, sed (ex Gal.) compositus ex Acido, & pauco Acri, idcirco Arist. asseruit. *Acetum proprio quidem Vini calore esse frigidum, adscititio calidum,* atque ex hoc censeo Galenum suam de Aceti Acredine imaginationem duxisse.

Non dissimili autem ratione fieri etiam Minerale Acetum mihi persuadeo, quod vt melius explicem. suppono, ea, quæ putredine, vel nimio externo calore Aciditatem sortiuntur, ipsam prius habuisse, cum cruda, vel semicocta, imperfectáq. erant; sicut, quæ immatura Aciditatem non habent, neque ipsam deinde sola assumere vlla posse vnquam putredine: quæ opinio videtur probari ex Vino immaturo, (idest Vua Acerba,) quod Acidũ primo est; post maturitatem verò, si corrumpatur ab externo calore, Aciditatem reassumit, verum non simplicem, neque cùm astrictione, sed ob putredinem (opinione Gal.) cum pauca Acredine mistam. eodem modo triticum, & Hordeum, quia immatura quidem Aciditatem habent, si post maturationem corrumpantur, vt humectatis accidere solet, Aciditatem reacquirunt, sic fructus alij, qui immaturi Acidi, vel Acerbi sunt, vt Sorba, Persica, Pruna, Cerasa, Mora, Mespila Tricoccon, & huiusmodi nonnulla, si perfectè matura simul coaceruata putredinem acquisiuerint, etiam inde Aciditatem accipiunt, & hoc quidem totum non est meum recens inuentum, sed Gal. 4. de sim. m.

f. 21.

f.12. ita ſcribentis. *Si Omphax Acida eſt, Vua verò dulcis, ac fructibus omnibus mutatio à ſolari prouenit calore, planum eſt imperfectius, & frigidius eſſe, quod Acidum, perfectius verò, & calidius, quod dulce fuerit. Cum ergo Vinum perfrictione rurſus aceſcat; manifeſtum eſt, in eum illud humorem conuerti ex quo prouenerat: diuerſis tamen hactenus viribus Omphacis ſuccus, Acetumq. conſtant, quod Aceto accedat ex putrido calore Acrimonia quadam. At Omphacis ſuccus calorem adſcititium non habet, ac proinde, nec Acrimoniam.* Ex quibus patet conſentire Galenum, ideò Vinum aceſcere, quia in priorem immaturum ſaporem regreditur. Quod ſi Galeno (vt Germani ſolent) parum fidis, ecce Theoph. Peripatet. 6. de cauſ. plant. 10. *Vinum* (inquit) *vetuſtate, & ſecundum naturam alteratum fit amarum, ſed ſi tanquam per violentiam, & præter Naturam mutatum ſit, coaceſcit, id enim ſaporis contrarium eſſe Natura voluit. pari modo, vel cæteris euenit, vt inde corruptio exultet, vnde naturalis generatio prodijt, quippe ex Acuto in Acutum, ex Acido in Acidum, velut in materiam reſoluitur, quod cum fuerit, mutari rurſus, atque reſtitui raro euenit.* Datur igitur regreſſus ſaporum ex hoc Philoſopho à perfecto ad imperfectum.

Hoc poſito ſic aio. Reſoluto calore inſito in Sulphure, & Vitriolo potentia externi caloris, relinquitur materia recrudeſcens, refrigeratàque, ac priuata proprio calore, atque ſapore, tunc reaſſumit ſaporem imperfectiorem, & Acidum, nec non ab ignea caliditate (quod difficile credo) caliditatem forte retinens, Acredinem habet, vt Acetum ex putredine (ſi vera imaginatus eſt Gal.) ita vt, quod in Vino Soli expoſito Solaris calor operatur, in his foſſilibus, quia ſolidiori, compactioriq. conſtant materia, idem actuatur ab igneo. Cum calor Aereus haud ſufficiens ſit, qui proprium eorum reſoluere, ac totum expellere queat calorem, ſiquidem *ignis ſubintrat poros Metallorum non aer* ex Gal. de vtilitate reſpirationis. Suſpicor autem Sulphur, & Vitriolum in principio generationis Acida eſſe, deinde ſapores mutare, cum autem per ignem hoc modo corrumpuntur, vt liquor eliciatur Acidus, in priſtinum redire ſaporem (dico ſubſtantiam quandam quæ diſtillatione extrahitur non totum Vitriolum, quod multiplici conſtat ſubſtantia) ſic Acidas aquas à Sulphure, vel Vitriolo immaturis prouenire cenſeo (vt in meo Opuſculo de Romanis Acidulis Pluribus) nam cum proueniunt à Sulphure, vel Chalcantho perfectis, nullo modo Acidæ proueniunt; ſed fœtidæ, calidæ, coloratæ, Acres, dulces, &c.

Si dicas Aciditatem Mineralium inueſtigaſſe exemplo Vegetabilium. Reſponſum erit, ſapores ſemper eſſe ſapores, variare tantum materia non Naturæ intentione, nec inter hæc diſtinguere Theoph. 6. de cau. plan. 3. *Ergo* (inquit) *Humorum ſapores, qui in gremio terræ conſiſtunt, ceu Acuti, & reliqui, ob eaſdem quodammodo cauſas, aut proximas, quibus in plantis prouenire nihil dubium eſt.* Igitur ex ſaporibus Vegetabilium

phyſicè

physicè argumentari, & agere de Mineraliũ ſaporibus non erit indecorũ.
Porrò ſumma Vitrioli aduſtione elicitur, ſeù cogitur ſeparari liquidior pars calore priuata ſuo, & Acida, ſiuè ſal volatile, ſiuè Mercurium, aut aliter appelles nihili facio (qui hic nolui quicquam ex Spagyricis addere, ſed purus Galenicus videri, cum te Galenicum dixeris) remanet autem terreſtrior, & ſiccisſima, & calore igneo, (vt cenſent nonnulli) impreſſo reddita fortaſſe calidior, Acerrimo, & Cauſtica. Oleum autem, ſeù potiùs Acetum, aut liquor Acidus (abuſiuè enim Oleum dicitur) aptè Vitriolum mortuum, vel Vitriolum frigidum appellare poſſemus, vt Acetum alij, Vinum mortuum, & Vinum frigidum nominauerè. Et ſicut Acetum Vegetabile Vini qualitates non amplius retinet, ſic nec Minerale Acetum, Vitrioli, vel Sulphuris qualitates retinere erit dicendum; ſed proprias ſortiri, & à prioribus diuerſas, ac contrarias, patet hoc, quia Vitriolum infuſum humori Diaphano, claròque, ac tenui, ſi fuerit aſtringens, illico nigerrimum pariet colorem, qui tamen color antea in neutro cernebatur. Contra, Oleum Vitrioli miſtum ſi fuerit Oleo Tartari puriſſimo, & clariſſimo, repente fiet ebullitio, & candidi caloris apparitio. Carta etiam cœrulea hoc tacta (vt tu quidem dicis fol. 81.) confertim rufeſcit, ac purpuraſcit, quod etiam ſum expertus ab Aceto Vini. Horum autem colorum cauſas antea non præexiſtentium reddere probabiles, non facilè. Fermentatio autem ab Aceto Minerali in Oleo Tartari, proprietas eſt aliorum Acidorum omnium, vt tradiderunt Plato, Theoph. & Gal. locis ſupra citatis: ideò Acetum Vini optimum ideſt Acidiſſimum, & Mordaciſſimum in terram effuſum fermentatur, & ſpumeſcit, idem efficit atrabilis Acida. Fermentum Tritici Acidum panem fermentat, & Spumeum reddit, & fortaſſe lapis Philoſophorum Acidum debet habere ſaporem, ſi vim fermentandi, & augendi habere debet, denique Acidulæ aquæ è terra prodeunt ferè omnes, quas obſeruauimus, veluti ebullientes, vt notauimus, & cauſam attulimus in noſtro de Acidulis tractatu.

At ſi cui minus placuerit noſter hic ſaporum regreſſus, Acidiq. generatio talis, eo, quod noſter ignis omnia potius corrumpat, quam gignat aliquid, ex Ariſt. 2. de gener. 20. vel alia de cauſa; per me licuerit aſſerere (quamuis hæc etiam Opinio ſuas habeat difficultates) in diſtillatione hac, & per omnes ignis actiones nil quicquam generari de nouo, ſed per ignis actum ſeparari tantum Heterogeneitatem partium: cum ignis proprium ſit Homogenea congregare, & Heterogenea diſgregare. Vnde, & Acredinem Colcotharis, & Aciditatem Olei, & Sal, & alia, quæ ab eo ſeparantur, præexiſtere in Vitriolo crudo erit fatendum, nec de nouo generari, ſed ſolum à vi ignis diſgregante, vt Heterogenea, ſeparari. Itaque talis erit dicenda in Olei extractione ignis actiuitas. Vt in prima Vitrioli paſſione ab igne ob ſubſtantiæ rarefactionem, colligatio partium Heterogenearum miſti diſſoluatur, quò pars quælibet, veluti vinculo ſoluta,

per

per eandem ignis actionem vlterius procedentem, intendat cum suis Homogeneis congregari, & omnino ab Heterogeneis disgregari, & quia non omnes partes simul: sed paulatim, ob fortem colligantiam, separari possunt; ideò paulatim fit distillatio, & primo ascendunt, & distillant eæ partes, quæ facilius separantur, quas deinde aliæ sequuntur ex Ordine. In prima igitur Vitrioli ignitione separatur phlegma quoddam, & humiditas insipida, & rarefacta, inquè aeris naturam commutata sursum fertur, & ascendit, mox à frigidiore ambiente densata, sub aquea forma descendit, remanet autem ob id Vitriolum calidius, & siccius ob ammissionẽ dictæ substantiæ frigidæ, & humidæ contrarias obtundentis, ascendit deinde simili ratione, per vlteriorem ignis vim, phlegma Acidum frigidum, & siccum, ac tenuiorum partium, quo etiam priuata reliqua Vitrioli substantia remanet adhuc calidior, siccior, & cum minori actuali humiditate, ideò terrestrior. Demum spiritus separantur, vltimo Oleum potabile ascendit, cæteris, quæ prius ascenderunt (vt potè terrestrius) grauius, Acidissimum, & siccissimum, ideò Causticum, quamuis frigidum, & Acidum, cum quo tamen (si pergat distillatio) aliquæ particulæ acres, & calidæ coniunctæ ascendunt à quibus paucam aliquam Acredinem habere imaginandum: reliqua autem substantia remanet in vasis fundo minus ascendere apta frigida omni, & humida substantia priuata, qua sicca, & calida obtundebatur, necnon Acida, & insipida, quibus salsedo, & Acrimonia celabantur, ideòque reperitur Colcothar Acerrimum, & Salsissimum.

Et hic tu finem Chimico labori imponis, & ad sal præparandum properas, ac si totam Vitrioli Anatomem tradidisses, verùm quia non dùm est completa, valde miror, miranturq. nostri Spagyrici omnes, Virũ *inter Chimicos furnos natum* (vt iactas fol. 21.) *& inter Spagyricos fumos, ac fornaces educatum, ac famosis Chimicis*, progenitum, tam frigidè, tã crudè in Vitrioli præparatione te te agentem ostendisse. Equidem respondi pluries, pro tua defensione, te non egisse, nisi de ijs liquoribus, quos in Medicina vtiles censebas: ideòque Oleum postremum nigrum silentio obuoluisse, quia in Medicina vti nolebas, quo quidem, nec ego vtendum censeo: cum contrarijs constet viribus illius Vitrioli Olei puri, & albi, quod nos exhibemus. Sed quicquid sit laborem hunc prosequar ego hoc modo. scias ergo mi Minerere sinè alio labore sal Vitrioli acutissimũ separari posse, sic, postquam Oleum potabile extraxeris, tuo More (aliter enim ego soleo) Cucurbitam inspicito, & reperies Vitriolũ rubificatum, in superficie crustula obtectum, cui desuper efflorescens sal albũ, & acerrimum, & salsissimum inspicies, hoc statim, & momento temporis, Gladij acie radendo colligito, & vase optimè cera obturato seruato. si paululum moratus fueris, hoc sal liquescet, cultro, & digitis hærebit cum quadam viscititate, & ita habebis sal Vitrioli, seu Nitrum. Acutissimum, quod apud Henricum Coruinum meum egomet inspexi, præparatio autem

Salis

Salis, quam tu doces, indigna est, vt à viro Spagyrico, qualem te perhibes tradatur. Nimirum per Colcotharis rubri lotionem. Quercet. in suo Sclopetario ab hoc separando ruborem, cretã Vitrioli relinquit, & colcothar sub dulce à dicta lotura colligit; Tyrocinium Chymicum quinquies, vel sexies calcinat, rubedinem, & salsedinem eluit quod remanet appellat dulcedinem Vitrioli, sed Henricus Coruinus ostendit mihi ex hoc Colcothare Vitrioli Romani per lotionē se extraxisse, Vitriolum purum Ceruleum, & simile Cyprio: apud alios etiam hoc eodem paratum modo vidi, Vitri forma, colore Viridastro, nec aliud ex tua præparandi ratione auferri, & colligi potest, quam particulæ Vitrioli non omnino exusti in Colcothare; sed optimè depurati, nec sal colligere hac ratione poteris vnquam. ratio est; quia sal ex vegetabilibus sola incineratione extrahitur (nam sal essentiale ex succis residentibus cum Libauio potius appellabo tartarum Crystallinum) ex Metallicis verò, & lapidibus, absque calcinatione nunquam legitimum sal abstrahes, debent ergo prius optimè calcinari; & tu vir Chymicus, censes, posse te sal extrahere ex non perfectè calcinato Vitriolo? nimium falleris: & quod diximus sal acre efflorescere superficiei Vitrioli vsti Nitrum potius est, quam sal. Legitimum autem Vitrioli sal paulo post ostendam, interim Vitrioli elaborationem à te inceptam sic prosequar. Separata Nitrositate dicta à Colcothare rubeo, hoc iterum in retortam, seu testudinem terream crudam (vt diutius igni resistat) erit imponendum, & in fornace reuerberatoria, igne tamdiu vrgendum, quoad acris illa substantia grauis, & terrea ascendere cogatur, & hac ratione habebitur Oleum Vitrioli nigrum, & Acerrimum, & hoc Oleum calidissimum concessero, & quidem purum lingua tactum, non certè vehementer acidū percepi; sed calidum, & adeò, vt statim linguam, & os manifestè calefaceret: ex quo negari non potest ipsius caliditas, etiam actualis, immò tanta est, vt in transfundendo hunc nigrum liquorem de Vase in Vas, commotione ea, adeò incalescit tactu, vt manu ferri non possit, penna, etiam vel palea imposita vritur, tanta vis est. Hoc in Medicina abstinendum censeo; quamuis alij rectificantes, subdulce efficere contendant, & ita eo vti, non vterer tamen ego, Acidum hoc non inueniens, & cum nihil amplius abstrahere poteris, fœces residentes, caput omnino mortuum, abstrahes, & in optimo crucibulo fornaci Vitrariorum trades per decem dies, donec optimè fuerit calcinatum; sed caueto ne vitrificetur, & fundatur, tunc habebis cineres atriores, & obscuras, & (quod non experto vix erit credibile) sine acredine vlla, & ex his cineribus per solutionem, & ablutionem sal erit colligendū, quod nobis ostendit Diligentissimus, exercitatissimusq. Spagyricus, Naturæq. Arcanorum perscrutator optimus Tobias Aldinus, Illustrissimi Cardinalis Farnesij ex intimis à Cubiculo, cuius benignitate, & Vitrioli sale candidissimo, minimèq. acri, vel salso donati sumus, & cineres non lotas minime acres degustauimus, quæ postea etiam apud alios Chymicos inspeximus,

mus, huius tamen rei ſcientiæ ipſi gratias habeto, non mihi. Nos cauſas rerum euentarum ſic tradimus, in extractione Olei nigri aſcendere partes illas acres, quæ Colcothar acre efficiebant, & hæ quidem ſunt ſal volatile Vitrioli, quibus particulis per omnimodam calcinationem abſtractis, & ſeparatis, relinquitur calx, ſeu cinis ſine acredine, & quia quæ remanet ſubſtantia, ad aſcendendum inepta, adhuc particulas etiam habet heterogeneas, quas ignis vis, ſi non ſeparatas, ſaltem ſeparabiles facilè reddidit: hinc his calcibus, & cineribus aqua infuſa, liqueſcit ſubitò, miſceturq. per facile ſal fixum ſeparabile effectum: ſic à capite mortuo, inſipidisq. cineribus diſiungitur, purificatur, dealbatur, prout notum eſt peritis Spagyricis. Atque hic nolo ego agere de præparatione Olei Vitrioli, quæ multiplex eſt, nec quam optimam cenſeo afferam; ſic, nec agam de rebus alijs, quas à Chalcantho extrahi ſcio, quum ſint infinitæ. Non enim hoc loco aſſumpſi tractandum de Olei Vitrioli præparatione, vt tu. Sed aliqua tantum ſuſcepi inueſtiganda, quæ difficiliora in tuis ſcriptis videbantur, & ſi quid addere cogor, per tranſitum eſt, alias fortaſſè exactiùs ex intentione. Interim de hoc vno lectores commonefaciam, maximam in Vitrioli elaboratione eſſe habendam curam, vt ſubſtantiæ diuerſæ rectè ſeparentur: nam ſi liquores heterogenei non fuerint probè ſeiuncti, & diſtincti, Fruſtra diſputabitur de eorum qualitatibus. Vnde qui ex retorta vna Vitrioli phlegma, ſpiritus, & Olea ambo extrahere conantur, ſæpe decipiuntur, colligentes ſimul omnes has ſubſtantias miſtas, quæ deberent eſſe diſtinctæ, cum contrarias omnino habeant qualitates: hinc cum Oleum potabile, & Oleum cauſticum miſta colligant, & exhibeant; occaſionem dedere, parum expertis, vt cenſerent, Oleum Vitrioli potabile, eſſe acre, & calidum.

Atque ex his conſtat decipi illos, qui cenſent vſtione acredinem, vel ſalſedinem acquiri, quæ prius non præexiſtebant: cum re vera nihil acquiratur de nouo; ſed tantum efficiatur, vt ſalſedo, & acrimonia, quæ prius in miſto, veluti in carcere latebant, & contrariorum vinculis, & obſtaculis vinciebantur, & deprimebantur; ſoluta demum, liberàque, ac ſinè contrariorum præſentia maneant, & per ſe agere ſola, quantum valent, poſſint quod infra etiam probabimus contra ἐμπύρευμα illud agentes.

Sed Dioſc. textus explanandus occurrit, qui poſtquam egiſſet de Chalcantho, Chalcitide, Sory, Miſy, Melanteria ſubdit. *Hæc autem ferè omnia, & alia, quæ vſtionem experta non ſunt, per vſtis validiora eſſe exiſtimantur: præter ſalem, Vini fœcem, nitrum, calcem, & conſimilia, quæ cruda remiſſiora ſunt, combuſta enim viribus efficaciora redduntur,* ſi igitur ex Dioſc. Chalcanthum vſtum minus acre erit, quam crudum, quid reſpondebimus nos, experti Vitriolum vſtum multo acrius crudo? cum Dioſc. eſt Gal. 9. de ſim. m. f. initio. *Acria* (ait) *multum caloris ammittunt vſta, at, quæ eiuſmodi non ſunt aſſumunt.* Vitriolum igitur acre in vſtione Acrimoniam ammittet, confirmat id Gal. in Chalcitide. capite

pro-

proprio, scribens vstam minus mordicare, & sine Acrimonia esse. & de Ther. ad Pis. 18. *Chalcitis si cruda fuerit corpus vrit, & in eo crustam celeriter excitat sin tosta admoueatur vlceri cicatricem inducit.* At non dum patet quid Dioscoridi sit respondendum. Vstionis rationem etiam docet. his Verbis. *Vritur Chalcitis fictili nouo viuis carbonibus superposito. Modus autem vstionis in humidioribus est, dum ipsa Calcithis bullas excitare desierit, & perfectè inaruerit, in reliquis verò, dum mutata in floridum colorem fuerit, & sanguineum, aut miniatum colorem contraxerit, tunc demum eximenda est.* Atque subiungit postea. *Torretur etiamnum perflatis carbonibus, vsque dùm luteo colore pallescat, aut fictili subditis candentibus prunis, subinde versata, donec igni conflagret, & colorem mutet.* Certum est vstionem adhiberi à Diosc. in his, vt vsta minus acria reddantur, sed Chalcanthum vstum prout vult Diosc. non modo non ammittet Acrimoniam, sed è contra amissis partibus aqueis Acrimoniam obtundentibus, acrius multo, quam crudum sentietur; hoc tu doces, Draconem appellans, tale Colcothar omnes fatentur Pl. *tosta Calcithis efficacior fit.* Tale denique experientia ipsa liquido demonstrat, dicendum tamen, dupliciter hanc Acrimoniam à Vitriolo tolli, per extremam calcinationem, & per lotionem post assationem. Diosc. non docet Vitrioli calcinationem perfectam; sed tantum rubefactionem, & assationem; non igitur Acrimoniç ablationem; sed potius intensionem, & ego non habeo, quid pro Diosc. dicam. sed summè vrendum, & calcinandum (experientia ipsa ductus) censeo, vt penitus Acrimonia tollatur. Nec puto Diosc. lotura tolli voluisse Acrimoniam Chalcanthi rubificati, (quamuis re vera tolli facilè possit) nam hoc modo, etiam calx combusta, & lota esset imbecillior, sed de hoc satis. An docet vrere Diosc. vt fiat Escharoticum, quod crudum non erat; cum Acrimoniam tollere vult omnino calcinat?

Denique concludamus Chalcanthum crudum heterogeneum esse, & cum aliquot particulis calidis à prædominio frigidum, astringens, siccans &c. vstum verò (quia priuatum partibus frigidis, & phlegmaticis) calidissimum, acerrimum, & siccissimum, & cum crassa essentia, causticum. Calcinatum verò exiccans sine mordacitate; denique caput mortuum lotum, & insipidum exiccans quidem, sed non summe, sine Acrimonia, & alia qualitate, illam forte paucam siccandi vim retinens, ob sal non omnino separatum: Nitrosum Vitrioli sal acutissimum fatemur: fixum verò ferè insipidum; adeò pauca Acrimonia, & salsedo sentitur: ex ascendentibus autem liquoribus, primus insipidus, & aqueus, fortè frigidus, & humidus; alter verò acidiusculus frigidus, & siccus, phlegma acidum dictum: spiritus frigidi quidem, sed sicciores, Oleum potabile acidissimum, frigidissimum, siccissimumq. cum tenuitate partium, ideòque causticum. Denique Oleum nigrum non potabile, Acerrimum, calidissimum, & siccissimum, & valde terrestre. Crudum Chalcanthum non

est Escharoticum, quia non siccissimum ob humiditatem quandam retundentem: cum autem antiqui Escharoticum dicunt. De vsto intelligi dicimus, sicut, cum vstione Acrimoniam ammittere dicunt, intelligendum calcinatione. De Vitrioli, Sulphure, & alijs ex illo paratis non est quid dicam.

## DVBITATIO IV.

## An Vitriolum, & eius Oleum sint venena, & de Empyreumate.

QVarta mihi occurrit dubitatio ob ea, quæ scribis fol. 33. *Vitriolum crudum non esse Venenum, vstione venenatum effici*, & ita colcothar dictum (ex quo Oleum Vitrioli elicis) causticum, adurens, venenata qualitate præditum, & intus non sumendum fateris, & ob hæc fol. 19. *Draconem* nuncupas. fol. autem 52. Æs vstum, florem æris, squammam, & duplicem æruginem ex Vitrioli, & Cupri prosapia Venenata dicis. igitur, si crudum non est Venenum, sed coctum, & tu ex cocto Oleum elicis ergo ex Venenato. Quæro modo, Venenositas illa in distillatione ascendet, vel remanebit in capite mortuo? si secundum, ex hoc, vel tolletur lotione, vel non? post lotionem certum est in cineribus non remanere. & tu fol. 54. & 56. *hoc Colcothar Venenatum, & Draconem mitescere, ac necandi vim ammittere lotione* scripsisti. Sal igitur ex te erit Venenatum, & ideò fortasse cap. 8. hoc sal pertimescis in ægritudinibus pectoris. Si primum, si ascendet Venenositas cum spiritu, vel Oleo, quod probabile aliquibus videtur, nam Euonimus *Cauendum à fumo tanquam venenato* admonet. Brasauolus quoque *Non solum homines interficere* (scripsit) *sed etiam vicinas arbores exiccare* dixerat etiam Gal. *Aerem fodinarum Vitrioli, & congenerum Venenosum*. Atque ex hac Chalcanthini fumi venenositate videtur manifestè colligi præsentis Olei, & spiritus venenositas, si quidem non sunt nisi Chalcanthi fumus collectus. Quare cum ex hoc venenato Vitriolo, ob vstionem, per vlteriorem etiam vsturam venenosiore adhuc continuo reddito, Oleum extraxeris, difficile est credere, nihil etiam venenosi contineri in ipsius succo. Atque tu fol. 96. assimilas huius potum perniciosis Cantharidibus, & subdis. *Non sunt hæc plenis manibus deuoranda; sed dexteritate quadam*. Verum fol. 98. cum debebas probare Chalcanthum non esse venenum, insurgis contra Colocinthidem, Scammonium, & huiusmodi alia, & sic argumentum eludis.

Mihi quidem supradictis hærenti facilior videtur esse solutio, si dixero venenositatem non esse distinctam à caustica vi, quæ à summa siccitate producitur. Colcothar enim & Oleum Vitrioli vti siccissima in extremo gradu erunt venena (quia qualitates omnes extremæ venenatæ,) sed ablata in his siccissima qualitate, vt non amplius caustica, sic neque venenata

nenata censeo, fumus etiam vti siccissimus plantis nocet. Venenum ergo habent à siccitate intensa, hanc verò depuratione, & segregatione partium obtundentium.

Nec cineribus vstis salsedinem, vel acredinem vllam, aut venenositatem de nouo gigni, vel ab igne impertiri mihi persuadere possum, sed solum manifestari prius latentes ob resolutionem partium contrariarum vi ignis, & hic parcant mihi Arist. & Gal. manes, hoc enim illis condonare nequeo, scribit Arist. 2. de part. lib. 2. ἔχει δὲ θερμότητος καὶ τὰ πυρωθέντα πάντα σχεδὸν, οἷον, κονία καὶ τέφρα, καὶ τὰ ὑποστήματα τῶν ζώων, καὶ τῶν περιττωμάτων ἡ χολὴ τῷ ἐμπεπυρεῦσθαι καὶ ἐγκαταλελεῖφθαί τι ἐν αὐτοῖς θερμόν. idest. *habent aliquid caliditatis, & adusta ferè omnia, vt calx, & cinis, & sedimenta animalium, & inter excrementa bilis, eo quod feruore nimio exaruerint, relictumq. sibi contineant aliquid caliditatis*, itaque Arist. relinqui in vstis caliditatem censuit. Gal. autem apertius. 9. de sim. m. f. *sanè* (inquit) *combustorum omnium nullum planè est frigidum, relinquitur enim in illis velut* ἐμπύρευμα *hoc est ignitio quædam; nam ita vocabat Arist. Atque id est, quod per ablutiones detergitur, excombustorum substantia subtilissimum, quod vbi cum aqua abierit, quod vsti reliquum est, substantia terrena est: siquidem humidum omne combustio absumit, reliquum autem terreum est vnà cum Empyreumate ab Arist. vocato. Hoc ergo vbi per lotionem ablatum, ac semotum fuerit, aqua in qua medicamentum ablutum est, calidam adsciuit facultatem, eamq. tenuium partium: quod reliquum verò est, terreum simul, & frigidum est, siccare citra mordacitatem potens*. Sed quod nos in adustis sal vocamus Galenus noster Empyreuma vocitauit, & igne acquiri censuit non præextitisse: sed manifestè deceptus est (fortè decipior ego.) Quoniam non transeunt accidentia de subiecto in subiectum, ergo qualitates de substantia in substantiam non ferentur, non igitur Acrimonia ignea transit in vsta. si dices transire qualitatem: ergo etiam aliquid substantiæ igneæ, quæ sedes est illius Acrimoniæ, si ergo sal acre vstorum est illud fictum Empyreuma, non præexistebat in non vstis, & cum sit pars ignea, sine actuali calore, erit ignis sine calore, quod est absurdum, & hanc substantiam non habebat prius ipse ignis, igitur adinuenit, patet hoc idem, quia cum inter Chymicos constet salia diuersas habere vires, immò vstorum retinere facultates, non poterit cuiusque sal esse ab igne, essent enim omnia salia similia, & eadem, cum idem sit ignis. Denique manifestissima experientia constat; Vsta, cineres, & calx lauentur bene, & extrahatur omnino Acrimonia, seu sal, seu Empyreuma dicatur, & igniantur denuò, & vrantur quamdiu volueris, nunquam per lotionem extrahes aliud sal, nec comperies Acrimoniam vllam acquisiuisse, quo constat falsum esse illud Arist. Empyreuma, & Acrimoniam illam esse sal quod prius cælatum præexistebat. Et fortè Arist. per Empyreuma non intellexit sal rerum vstarum, calcinatarumvè (vt Gal. censuit,) sed vstilaginem, (quam mordacitatem

etiam, alibi Gal. ipſe appellauit) à rebus ſemiuſtis, vt aquæ quædam diſtillatæ Empyreuma ſapere Chymici nonnulli aliquando dicunt: decocta etiam aliqua, & cibaria quædam ſi fumi, & vſturæ odorem retinuerint Empyreuma habere fortaſſe dicentur. Hunc nos fumidum ſaporem, neque ab igne produci concedimus. Odor enim hic non omnibus vſtis ineſt, ergo non ab igne, aliter aſſignanda cauſa, cur ignis hũc habeat: ſi Pl. credendum lib. 15. cap. 27. *ignis eſt ſine ſapore, ſine odore*. Equidem fumum, fumidumq. odorem aſpicio, ac ſentio in ſemivſtis, & paulatim non in omnino calcinatis, in quibus ignitionem, & Empyreuma imaginatus eſt remanere Gal. An modus vſtionis non vſtio, hunc nobis offert odorem? neque enim omnia idem habent vſtulata Nidorem. An cum Malus hic ſit odor cenſendus prius in re vſtulata extitiſſe deliteſcens, qui non ſentitur, ſi res illa confeſtim vratur? cõſumitur enim illico ſubiectum illius, neque etiam minimo calore ſi afficiatur, & pereat. Oportet enim vt calor ſit ea proportione, vt paulatim, & determinatè tetrum illum fumum excitet, & ſeparet. Verum cum eadem ſit ratio fœtidi, ac ſuauis odoris, Thus, verbi gratia, vſtulatum cineribus calidis fumoſum, ſuauemque multum producet vaporem: multo verò igne crematum citò periens pauciſſimum odorem, fumumq. ſpirabit, modus igitur vſtionis, non vſtio fumũ excitat, vel non excitat: atque res ipſa vſtulata dat quem habet odorem gratum, vel ingratum. At quia aqua roſacea per ſe odore ſæpe grata, quandòque ab vſtione ingratum, fumidum ſapit odorem, vel aſſumpſit hunc miſtione externi, alieniq. fumi, lignorum ſcilicet, (quem cauere nos ſæpè admonet Gal. ideoque decoctio duplici in Vaſe eſt inuenta,) vel aſſerendum cenſebo, duplicem non rarò miſtis in eſſe odorem (ignotum fortaſſe in philoſophia parum verſatis) alterum gratum, ingratum alterum, vt ſæpe etiam videmus contrarios ſapores, colores, & alias oppoſitas qualitates ſimul miſcere Naturam, vt calida, frigidis, ſoluentia, aſtringentibus &c. odores etiam ars varios ſimul vnit, itaque ſicut eadem quoque ars diuerſo ignis, calorisq. gradu, ac Vaſorum forma diuerſas ſubſtantias ſeparat (vt Chymicis notiſſimum) non erit mirum ab eadem re prodire diuerſos odores, ſaporeſque, & ita non erunt dicendi de nouo ab igne produci, ſed prius extitiſſe, ſed hæc vt nimis ſubtilia à paucis fortaſſe aſſequentur, & in noſtris Chymicis diſputationibus longioribus agemus, quod autem ignis nullum ἐμπύρευμα impertiatur non ſolũ patet ex cibarijs, & medicinis, quę valido igne coquuntur, ſed ex Metallicis plurimis, & foſſilibus quæ poſt multas ignitiones non retinent hoc Empyreuma, non enim ferrum centies ignitum, aliaque Metalla ſæpe fuſa, cũ fuerint refrigerata Empyreuma vllum retinent, imò à multis mineralibus, quæ cruda erant valde acria, & calida, poſt multam ignitionẽ facultas calida pellitur, adeò, vt remaneant ferè frigefacientia, vel ſaltẽ multo remiſſiora, quæ antea calidiora fuerant. Vnde Dioſc. Sory, Melanteria, Miſy, Calcithis, & Chalcanthum, & alia vſtionem non experta pervſtis

vali-

validiora sunt Gal. de Calcithide 9. de sim. f. *Vsta minus Mordicare*, nec mirum si aliqui senserunt (vt refert idem Gal. initio lib. citati) combusta omnia se ipsis effici frigidiora. Quod si distillata quandoque fumidum receperint saporem, illa vase optime clauso, vt eum tollant insolare solent Chymici, vt Io. Baptista Porta in aqua Aranciorum, & alij.

Atque huius materiei vsum, & collectionẽ Gal. ignotam, vel despectam fatemur, separationem verò notissimam, & vsitatam, docebat enim sępè in lib. de simp. m. f. & de cõp. m. per g. Metallica & lapides post vstionẽ eluere, vt acrimoniam separaret, quam salis speciem esse non aduertebat, proijciebatque, quod Chymici nunc maximè asseruant, Galeno autem fæces tantum, Spagyricis caput Mortuum dictæ, vsui erant, acrimonia, saleq. omni priuatæ: eandem sententiam Gal. adnotauit. 4. de simp. m. f. 3. cuius verba etiam apponere libet, vt constet acredinem, quam in aceto posuit esse imaginariam, & falsò inniti fundamento. *Vinosæ* (inquit) *vini partes dum ipsum in acetum transit, refrigerantur, & aqueum recrementum putrescens adscititiam caliditatem obtinet, velut cætera omnia, quæ putrescunt: fitq. acetum quiddam ex contrariæ facultatis partibus compositum partim refrigerantibus partim calidis, sicuti vstorum lignorum omnes cineres. Etenim in illis aliquid, velut fomes quidam igneus* (ἐμπύρευμα *Græci vocant*) *per exiguas partes dispersum est, quod, & valde calidum est: reliquum omne terreum est tum frigidum, idcircò cum cinis aqua maceratur, ac per quædam corpora modicè rara colatur, fit, vt calidæ, acresq. partes vnà ferantur, reliquum quod est, non amplius calidum est, nempe quod igneas suas particulas in aquam deposuerit. Vocant eam aquam homines* κονίαν *Græcè, Latinè lixiuium, idque proportione quadam aquæ marinæ, & Muriæ dispositionis, generationis, & facultatis ergò respondet, illa enim ex aqua saleq. constant, at aqua, quæ cinerem abluit tum ex ipsa, tum ex partibus, quas secum rapuit, composita, hoc pacto efficit nominatam* κονίαν *idest Lixiuium, quod nisi antea scias ex aqua, ac fuliginosis cineris partibus effectum, forsitan simplex, & incompositum esse corpus existimes. Eiusmodi quiddam in aceto nobis euenit. Nam cum nequeamus sensu cernere ipsius generationem, rationi diffidimus.* Hic Gal. Chymicis experimentis non adiutum errasse, non mirum, cum censuerit Cinerum Salia Lixiuio impertita igne fuisse comparata, si igitur ignis nihil gignit (noster inquam,) sed omnia corrumpit, & sal ipse non habebat, quo pacto cineribus dedit? Veritas autem est, hæc salia, (siue sales dicas nihil refert) prius extitisse in misto, deinde ignis vi rarefaciente, & disgregante fuisse reddita separabilia, pura, & propatula. Et quia Gal. ex hoc falso fundamento inferre videtur in aceto ex putredine esse acredinem quandam non sensibus manifestam, sed imaginariam, rationi iure nos diffidimus, vnde quia ex falso rarò sequitur verum in aceto acredinem ob hanc Gal. rationem non concedemus, & quamuis ex putredine sæpissimè calor actualis, & ignis

ipse

ipſe gignatur diuerſa tamen eſt ratio, diuerſa putredo: hæc tendit ad calidùm ideò acquirit acredinem, illa tendit ad frigidum, & ſuſcipit aciditatem, nec ſimul ab eadem cauſa poſſunt eſſe duo contraria acidum, & acre cum ab altero alterum deſtruatur: acidum enim acrimoniam omnem facile ſuperat, & perdit. Et hæc habui ad hanc dubitationem, te tamen libenter audirem alijs principijs innitentem.

Verum nequaquam concedendum eſt Vitriolum crudum tanquam venenum fugiendum, & in potu minime tribuendum; dedit Dioſc. *latas ventris tineas necat drachmæ pondere deuoratum, aut cum melle linctum, vomitus ciet, aduerſus hauſta fungorum venena ex aqua potum auxiliatur*, nec perferam hæc præſtare vt venenum, non enim omnia, quæ ex Plinio, & Dioſc. ventris tineas necant, aut vomitus cient, aut fungis proſunt venena dici merentur. dedit, & Gal. ipſe 6. de comp. m. 2. l. cap. 1. agens de cõfectione Pharmaci ex malis punicis, & primo quidem noxium eſſe atramentum ſutorium ſcribit, ſubdit poſtea de ſucco malorum Pirorum, Sorborum punicorum, Meſpilorum Cornorum &c. *Omnia hæc citra noxam deuorantur: ſi vero atramentum ſutorium admiſtum ſit non valde deglutire oportet confectum Pharmacum, præterquam ſi iuxta ſtomachum, aut aluum vlceroſam affectionem fieri ſuſpicemur. Quin & ſi in ore ipſo maligna vlcera fiant præſtant ex atramento ſutorio medicamenta* patet hic manifeſtè, hoc concedi à Galeno in vlceribus oris, ſtomachi, & alui; ſed admonet non inconſideratè hoc vtendum, verum cautè & *non valde*, igitur paululum. Dioſc. Calcithide vſus eſt ad gingiuarum vitia, ſeu Epulidas, Nomas, & Pariſtmias. Pl. ad Vuas tollendas.

## DVBITATIO V.

### An Oleum Vitrioli conferat morbis pectoris.

QVinta mihi occurrit difficultas, quia fol. 71. & 75. ingenuè fateris *hoc Oleum pectori, & pulmoni non eſſe amicum, tum ob acrimoniam his locis infeſtam, tum etiam ob acetoſitatem iiſdem partibus inimicam, ac aſtrictionem eas exaſperantem*. Equidem cum dulcia audierim pectori amica, acida verò inimica ſimpliciter adhibita facilè conſentirem, niſi quid obſtaret. Nam acetum miſtum in Oximellite pectori ſalubre medicamentum cum Hip. 3. acut. ſentire cogor, immò difficultati ſpirandi. Aſclepiades medicus inſignis, quem Plinius ſummum appellat & Gal. egregiè de medicamentis ſcripſiſſe teſtatur, hic, inquam, vt refert Celſ. lib. 4. c. 5. *Acetum ait, quam acerrimum eſſe ſorbendum*. & Dioſc. de Aceto. *Tuſſim veterem mitigat, recentem laceſſit, in Orthopnea calidum commodè ſorbetur*, non ergò acidum ſemper pectori inimicum. non acidum Oleum Vitrioli pectori inimicum. Nec etiam Acrimoniam ſimpliciter pectori inimicam tecum ſentio, plurima enim acria pectori con-

ducunt, vt Hyſſopus, Timus, Origanum, & ſimilia acrimonia ſua inci-dentia, immò inter Mineralia Nitrum, Sulphur, & Acerrimam Sanda-racham Dioſc. Plin. Meſ. & alij laudant ad pectoris quoſdam morbos, quod rectè nè fecerint (vt tu obiurgas) nè nimis in longum creſcat Epi-ſtola, aliàs. Nec aſtringentia ſemper in pectoris morbis aufugienda ſunt: Celſus tuſſi ſiccæ vinum auſterum dat, ſed his omiſſis Oleum Vi-trioli Aſthmaticis, & Suſpirioſis dari ferè omnes, qui de hoc ſcripſere, tradunt. inter quos Mercurialis, Capiuacceus, & Io. Baptiſta Porta de diſtill. lib.7. c. 1. ruptas in pectore venas conglutinare, & ſanare à ſe ex-pertum dicunt conuenit ergo quandòque pectori. Sed ſi fateri velimus Vitriolum cum Ære ſocietatem habere, vt quod ex hoc etiam arte pare-tur, (& tu etiam id doces) Vitriolum ipſum propria quadam qualitate pectori inimicum pronunciabimus, vt Æs ipſum, & fortaſſe Oleum etiam Vitrioli hanc occultam qualitatem retinens à ſua primogenia materia pectori hac de cauſa erit inimicum; ſed nihil ego decerno. Æs autem pectori eſſe inimicum præter cætera, ex hoc etiam noſcitur, quia ſonan-tibus tubas, tam præliares, quam ductiles ex Auricalcho Os fœteat ob inſpiratum per fiſtulam illam æream, fortaſſe æruginoſam.

## DVBITATIO VI.

### An Oleum Vitrioli Morbis vteri dari poſſit.

SExto phlegma Vitrioli das fol. 35. in effectibus vterinis, quod doctri-næ Hip. opponitur, qui ſcribit. 3. Acut. 39. *Mulieribus autem longè magis, quam viris aduerſatur acetum, nam vterum dolore afficit.* Si er-go acetum, vt acidum vtero aduerſatur, Vitrioli phlegma, vtpotè in aci-ditate potentius, magis aduerſabitur, maximè verò, & extremè Oleum Vitrioli acidiſſimum.

## DVBITATIO VII.

### Vtrum Oleum Vitrioli omnibus ventriculi morbis proſit.

SEptimo ſcripſiſti fol. 75. Oleum Vitrioli omnibus ventriculi morbis conuenire. *Excepto ſanguinis vomitu, & ſtomachi inflammatione.* Quæro abs te, cur non conuenit vomitui ſanguinis. Si vomitum ex te compeſcit? ſi ſanguinis grumos, vt dixiſti fol. 76. diſſoluit? ſi aſtringit? an vomitum ſanguinis non putas remedijs compeſcendum? *Acetum* ex Dioſcoride. *Stomacho vtile, erumpentem vndequaque ſanguinem potu, inſeſſuuè ſiſtit, hauſtum conglobatum in ventre ſanguinem diſſoluit.* Non nè acetum Minerale vegetabili præſtantius eadem operabitur? ſi nimis validum dices: an pro tua voluntate id te poſſe imbecillitare aſſe-

 ruiſti?

ruisti? nonnè Porta se expertum dixit salubriter? ego si meis experimentis erit fides habenda idem testabor. si tibi experientia (vtpotè natura sua fallax ex Hip. nostro) non ex voto successit. alia inculpanda causa, vel magnitudo morbi, vel intempestiuitas medicamenti, vel aliud quid; si ergo conueniens in sputo sanguinis? cur non in vomitu cruento salutare.

Scirem etiam libenter cur stomachi inflammationibus negas. si refrigerat? si repellit? Acetum ex Diosc. *inflammationes arcet, anginis gargarizatum conuenit*, in quibus est tamen inflammatio. & quod magis est tu fol. 81. propinas *ad febres stomachales*, & fol. 82. Oleum Vitrioli *saluberrimè porrigi* (scribis) *in internis inflammationibus cum aqua lactuca &c.* Quo igitur consilio hæc asseris? si internis inflammationibus prodest, cur non ventriculi inflammationibus?

## DVBITATIO VIII.
### An Oleum Vitrioli Melancholicis conueniat.

OCtaua dubitatio erit, quia fol. 45. commendas Vitrioli spiritum. *Ad Hypocondriacos, & Melancholicos Morbos.* & fol. 75. Oleum *& acidis ructibus.* & fol. 80. *ad Hypocondriacam Melancholiam.* denique fol. 103. & 104. aquas fontium acidorum extollis *ad Maniam, & Melancholiam Hypocondriacam.* quibus in casibus tibi assentiri non possum in contrarium ductus Hip. auctoritate 3. acut. 38. *vt autem* (inquit) *in summa dicam, quia ab aceto est acredo picrocolis magis, quam melancholicis prodest. Amara si quidem dissoluuntur, desciscuntq. in pituitam, cum ab aceto in sublimè attollantur. Nigra autem fermentantur, attolluntur, & multiplicantur, nempe nigra educit acetum.* Hip. hoc loco mordacitatem acidam aceti, vocat acredinem, à qua nigra fermentantur, fermentatio enim proprietas est acidorum, non acrium calidorum, & ita acida, & acetũ minimè Melãcholicis conuenient, quia fermentent atrum humorem, ob id neque spiritus, neque Oleum Vitrioli conuenient. Præterea Oleum Vitrioli siccissimum est, vt diximus, ideòque Melancholiæ siccæ inimicum, vnde prohibet Gal. 1. de alim. fac. 18. Melancholicis cibos exiccantes, nec me latet, Paulum scribentem adesse; *Melancholicis aceti, quam acerrimi modicum sorbitioni datur somnum ituro.* & alios dedisse, sed, quid tu ad hoc habes reconditi?

## DVBITATIO IX.
### An Oleum Vitrioli Hydropicis, & Colicis dandum.

NOna dubitatio est, quia fol. 34. *Hydropi* exhibes phlegma Vitrioli deinde fol. 77. & 80. Oleum ipsum laudas *ad Hydropem* quorum (quam-

(quamuis vrinam mouendo iuuare possint) timeo frigidam aciditatem, quæ debilitatum, & perfrigeratum ventriculum, ac iecur, magis debilitare, ac perfrigerare potest, multos enim vidi ex succi Limonum vsu ob renum calculos, ventriculo male affectos, quamuis cùm multo saccharo hunc sumptitauerint.

Colicis etiam fol. 76. prodesse testaris: sed an omnibus Colicis, non determinasti (& hoc est, quod passim antiquis in lib. de comp. m. localium Galen. obijcere solebat, ab ipsis remedia conscripta examinans) an censes, vt acidum, vt frigidum istis conuenire? morbo nè frigido frigidissimum medicamentum?

## DVBITATIO X.
### Quomodo Oleum Vitrioli cordi conferre possit.

Decima dubitatio est, quia fol. 76. *Cor recreare, & infirmas eius vires reponere* æternis monumentis tradidisti, quod quo fiat pacto assequi ratione vix queo. Nempè cor recreatur, & roboratur, vel quoad ipsius solida, vel spiritus, vel humores, quorum trium, aut substantia, aut temperies, aut motus pro roboratione conseruanda sunt. Solidarum quidem cordis partium substantia, vel humorum, vel spirituum cibis nutrientibus seruatur, & hoc modo prodesse cordi Oleum Vitrioli, vt quod haud nutriat, non potest. Horum autem temperies seruatur medicamentorum qualitatibus oppositis ad illas, quæ imbecillitates causant, & hoc modo Oleum Vitrioli prodesse poterit sua tenuitate, vsque ad cor penetrando, & sua frigiditate se calori nimio opponendo, tam in substantia cordis solida, quam in humoribus, & spiritibus. Motui verò spirituum cum vel intro, vel foras ruunt, vnde vel suffocantur nimis intus obruti, vel resoluuntur extra prodeuntes, parum prodesse potest hoc Oleum, nisi dixeris sua frigiditate, & aliquali astrictione prohibere spirituum exitũ, & resolutionem. Quare tantum proderit in ea cordis imbecillitate in qua vires pereunt ob intemperiem calidam: Tu autem indefinitè scribẽs, Cor recreare errandi occasionem nescientibus hęc distinguere non leuem obtulisti. Cum imbecillitati cordis ab intemperie frigida, ab intemperie sicca; ab humore Melancholico; & ex defectu spirituum, ac humorum cordis, vel eius solidorum siccitate, Oleum Vitrioli manifestè nocere possit; sua frigiditate, & siccitate extrema humores, spiritus, & solida cordis magis diminuens, & exiccans.



# DVBITATIO XI.

## An Oleum Vitrioli Neruis competat, & quomodo hoc Oleum vigoret medicamento quibus miſcetur.

VNdecima dubitatio erit, quia ſcribis fol. 69. *Paralyticis prodeſſe cum aqua florum Primulæ veris, vel Chamæpityos*. Acida tamen, ſeu acetoſa, acetumq. ipſum neruis inimicum ſæpe docuit Gal. ſed præcipuè. 3. acut. 39. ſic litteris tradens. *Quod acetum ſuaptè natura neruos offendat teſtatur experimentum, & ratio demonſtrat. Nempè exangues ſunt, & ideò frigidi, facilèq. ab ijs, quæ refrigerant ſimul, & tenues habent partes afficiuntur medicamentis, læduntur præterea, & à reliquis refrigerantibus omnibus, ſed ſubſtantia aceti, quòd tenuium eſt partium, in eorum mergitur profundum, atque in omnes ita penetrat partes, vt nè minimum quidem ex eis illæſum maneat*. quod iterum affirmauit 2. de fract. 29. dicens. *Oximel vbi neruoſæ partes vitiatæ ſunt alienum eſt, aceto enim tentantur*, & alibi ſæpè id confirmat, cum verò Oleum Vitrioli potentius etiam aceto ſit, proinde contrarium Neruis, & Paraliticis erit magis.

At dices (vt conſtat ex tuis ſcriptis. fol. 67. 80. 81. 96. & alibi ſæpè) *Oleum Vitrioli omnium aliorum remediorum auxilia intendit, auget, vigorat, ac perficit, quæ huius beneficio deſtituta vaneſcunt, ac languent, vel ſegnia torpeſcunt*. Si hoc eſt: Oleum Vitrioli non prodeſt ipſum per ſe ſolum morbis à te dictis; ſed conferentium auxiliorum famulus, mancipium, calcar, & ſtimulus eſt (nec tu quoque negas fol. 96.) atque etiam addis *Galenicam noſtram Culinam, Sale, & Aromate profectò careret, ſi ei Oleum Vitrioli denegaretur*. Sal autem non eſt cibus: ſic Oleum Vitrioli non erit remedium morborum à te dictorum; ſed veluti remediorum condimentum, Sal, & Aroma; per ſe enim id non efficeret, quod cum alijs conferentibus efficit (cum appropriatis ſæpè dicis.) Ad quid ergo tantus clamor? Ad quid tantarum virium prædicatio? ad quid ad ſydera exaltatio? Quomodo rex medicamentorũ omnium ſublunarium? vt tu appellas initio cap. 9. Si ſeruus aliorum medicamentorum eſt? ſi ſine appropriatis nihil valet? forte Regem ſinè ſubditis nihil valere reſpondebis. At quas illi tribuis dotes omnes habet tantummodo, quia ob tenuitatem ſubſtantiæ ſuæ, vires aliorum medicamentorum ſecùm per corpus ducit. Ecce ſumma virium Olei Chalcanthini in miſtione, vno verbo definita, non vltra, quod etiam inuitus fateris. f. 109. vbi *refrigerat* (inquis) *ſi cum appropriatis exhibeatur alioquin id ipſum non præſtaret*. Propterea nunquam cauſa principalis tot morborum curationum erit, ſed ſecundaria, adiuuans, ſine qua non, acceſſoria, & famulans, non igitur ſuper alia debet inſurgere.

*Seruum*

*Seruum hominem causam orare leges non sinunt.*

Aiebat Terrent. in Phormione act. 2. sc. 1. immò tu tibi contradictis fol. 80. vbi scribis. *in Vitriolo, namque latet, eiq. inhæret plena perfecta, absoluta, & consumata cura Chachexiæ, Icteri, &c.* deinde quatuor interpositis lineis subiungis. *Intendit autem, & vigorat præcipuè omnia medicamenta vegetabilia, quorum virtutes ad summum exaltat.* Hic primum, mi Raymunde, dicis per se hæc operari perfectè, & absolutè (quod non concedam non enim solo vteris) deinde alijs adiunctum. At ex Arist. *propter quod vnum quodque tale, & illud magis* ergo si decoctum, verbi gratia, Chamępityos, Paralyticis prodest propter Oleū Vitrioli, ipsum Oleum per se magis proderit, sed hoc falsum, igitur Oleum Vitrioli prodest Paraliticis non per se (cum nullam habeat illis facultatem auxiliantem, at potius contrariam) sed per accidens; quia nimirum auxilia Paraliticis conferentia, & propria per corpus defert, & penetrare facit suarum partium tenuitate, & ita cæteris morbis quos tu proponis Oleum Vitrioli per accidens prodesse non per se, & propria vi erit dicendum.

Nec alia de causa vtitur Gal. Mediciq. cum eo communiter aceto, nisi vt sua penetratione aliorum vires introducendo, ea intendat, vigoret, & quodammodo augeat, ita vt aliorū vehiculum, stimulus, calcar, seruusq. sit, non quia ipsum per se iuuet, cùm sæpissimè affectui id noceat simplex, cui alijs mistum ob famulitium redditur iuuans. Atque ex Gal. multa afferre possem exempla de aceto admisto ad distributionem, ad penetrationem, ad augendam actionem medicamentorum plurimorum: quæ tibi notissima scio. Hoc tantum notabo etsi vni affectui noceat per se acetum, eo tamen ad penetrationem vti Galenum, vt patet 2. de comp. m. 2. loc. 1. *Exoluitur* (inquit) *medicamentorum ipsorum vis in transitione per profundum, & ob id ad propria affectioni auxilia aliquando contraria, & nocentis facultatis pharmaca admiscemus. Cum namque inflammatio dolorem inducat maximè contrarium est acetum reliquis auxilijs admiscere, vtpotè, quod neque mitigandi, neque laxandi vim aliquam in se complectatur. Sed cum per sinciput (neque enim per aliam quampiam capitis partem transitus patet) pharmaci facultatem intra penetrare velimus, tunc sanè ad admistionem alicuius eorum, quæ propria natura auxiliantur, ac in profundum ducunt, deuenimus, tenuium partium substantiam quandam inuenientes, quandòque quidem frigidam, velut acetum, quandòque verò calidam, velut Euphorbium, affectione, quæ curationi subiacet, considerata, ac perspecta num calefacientibus opus habeat, an refrigerantibus*, per quæ vltima verba etiam innotescit Oleum Vitrioli, vt penetrationem adiuuans, quia frigidum male à te misceri medicamentis calefacientibus (nisi dicas te, vt caliditatem sua frigiditate minuat, miscere) nam Gal. pro affectibus frigidis, requirit penetratiuum calidum, quale Euphorbium; affectibus verò calidis, penetratiuum frigidum, quale acetum: tu autem sine discrimine, & calidis affectibus, &

frigidis vteris, contra Galeni Methodum, cuius tamen te ſequacem dixiſti.

Nec dicere placet Oleum Vitrioli habere caliditatem, nego hanc ego caliditatem in Oleo potabili, cuius tu extractionem doces: non enim eſt niſi vapor, ſeu exhalatio quædam combuſta (appelles vt libet,) quæ amiſit propriam præcedentem caliditatem, vt dixi ſupra, vel aliter: eſt pars frigida, & ſicca Vitrioli per vim ignis ſeparata, vt oſtendimus. Si Oleum hoc potabile acidum eſſet calidũ aliquo modo innoteſceret. Non ſapore. Acidiſſimum; ideò frigidiſſimum. guſtu acre non eſt, ſed mordax ob frigiditatem, vt ſatis declaratum eſt. Si veram acredinem haberet hæc ſentiretur, etiam aquæ ſufficienti miſto hoc Oleo; ſed non percipitur niſi aciditas, ergo ſola aciditas ineſt. Cauſticum eſt, ob ſummam ſiccitatem. Aqua autem, quæ humida eſt adiecta non amplius cauſticum, quia non amplius in ſummo ſiccum: purum hoc Oleum linguæ, vel vlceri aliquo adhibitum, mordaciſſimum; ſed ſinè caloris ſenſu (quicquid garriant Aduerſarij) percipitur; niſi calorem per accidens paulò poſt acceſſat. Aquæ miſtum refrigerat, & ſitim tollit potum, ab extra cuti impoſitum antea dilutum, nullum producit calorem. Vbi eſt igitur, hæc caliditas Olei Vitrioli? cur tu doctiſsime vir ſumme calidum cum aduerſarijs fateris? non enim in te deſiderantur Chymices peritia, & experimenta, tu ſi quid habes, amabo, indica mihi, quò hanc Vitrioli caliditatem (dicò Olei appellati) ſenſibus agnoſcere queam.

Addam etiam Vitrioli Oleum alijs medicamentis miſtum in pauca quantitate, ita fortaſſe prodeſſe, vt Cantharides aliòqui venenum prodeſſe quandòque ſolent in antidotis inditæ, Veſicæ nimirum ipſi, quibus Hip. Dioſc. & Gal. & alij antiqui vſi ſunt, (vt tu quòque teſtaris. fol. *96.* & ego pluribus egi in mea de inſectis Hiſtoria.) Nec tamen has viri illi Veſicæ remedium prædicarunt vnquam, ſed venenum eidem palam confeſſi ſunt ingenuè; non vt tu, qui omnium morborũ prædicas remedium hoc Oleum, quod re vera pauciſſimis prodeſt per ſe, ſimplex, & ſine dilutione adhibitum, ſed audiamus Gal. 3. de ſimpl. m. f. 23. *Sanè Cantharides* (inquit) *vrinam cientibus medicamentis miſcentur, ſicut pleràque alia læthalia Alexipharmacis: atque id genus medicamenta compoſita, ſi aptè miſta fuerint, omninò efficaciſſima ſunt, quemadmodum, quod ex Cantharide conficitur, vrinæ mouendæ accommodatum eſt. Feruntur enim alioqui ſponte ſua Cantharides per vrinam ad Veſicam: atque ſic radendo eam exulcerant. Verum vbi paucum ex illis, multis miſcetur bonis, atque vtilibus illa quidem velut manu ducunt, rodere tamen nequeunt. Opus eſt enim vt quicquid agat, etiam ſi ſit valentiſſimum aliquam tamen, & magnitudinem habeat.* Nec diuersè loquitur 3. de temp. 3. Et ecce Cantharides vigorant, augent, & perficiunt alia remedia diuretica, & auxilium eidem veſicæ præbent (vt verbis vtar Gal. de Ther. ad Piſon. 10.) quam per ſe exulcerarent, & nobis iniminica hominem plerumque

rumque occidunt; & alia quoque huiusmodi exempla afferre possem. Constat igitur Oleum Vitrioli per se, simpliciter, & immistum nocuum (si non velimus dicere venenum) siccissimum, & Causticum, in pauca autem quantitate, & alijs mistum, vt quædam venena, iuuare interdum posse, ob summam partium suarum tenuitatem, & facilem penetrationem alijs impertitam: non ideò dicendum remedium saluberrimum absolutè ad omnes morbos. Scio equidem non dissimili à tuo Methodo Lullium, & Rupem scissam Quintæ essentiæ Vini, ob suam tenuitatem, extulisse virtutes, & ad omnes ferè morbos laudasse, miscentes nimirum, & ipsi alijs appropriatis medicamentis. Sed veritas est Vini spiritum, Oleum Chalcanthi, & Sulphuris, ac huiusmodi alia in curationibus morborum non primarium, sed secundarium locum sortiri: non enim indicantur à morbo curando; sed à remedio indicato, quod per secundariam indicationem requirit adiutorium, vt posiit penetrare ad locum affectum, igitur Oleum Vitrioli non est remedium curans; sed adiuuans id, quod est curans, & ita hoc appellare poterimus vigorem, stimulum, & calcar, quo medicamentum intropellitur, seu potiùs vehiculum, quo medicamentum intro commodè defertur. Aptissimè autem dicemus Asinum aliorum remediorum, in quo veluti equitant medicamenta appropriata, vt facilè, & indefessa ferantur quò tendunt, vnde ineptius Regem summum appellabimus eum, qui communis seruus est, ineptè etiam Herculem dicemus eum, qui sinè alieno auxilio nihil operari valet, quod conferat: nam Oleum Vitrioli defert tantum vires aliorum, & ipsum nihil per se agit, sed satis lusimus Amicè semper. At occurrit quoque quod tu fol. 43. scribis. *Tota Vitrioli efficacia in hoc consistit, vt præter proprias dotes omnium medicamentorum vires intendat, ac in perfectiorem quendam gradum exaltet.* mox subdis. *Spiritus Vitrioli medicamentis caput roborantibus, vt Bettonica, Stœchade, Peonia &c. longè videntur superiores, qui his Cæphalicis medicamentis iuncti torpidas eorum, & quasi languentes vires suscitant, & vt penetratiui in fœliciorem effectum deducunt.* Ego quomodo hi spiritus superiores sint Cæphalicis medicamentis in roborando capite mente assequi nequeo. Nam si Cæphalica dicta per se id præstant, (quamuis aliquanto imbecillius,) quod per se spiritus Vitrioli sine illis nunquam præstare possent, dicet semper quilibet Cæphalica superiora, nec enim calcar perfectius equo dicitur.

## DVBITATIO XII.

### An Oleum Vitrioli febribus malignis conueniat.

DVodecima dubitatio (vt numerum perfectum compleam) erit an febribus conueniat malignis, quarè hic visus es mihi admonendus inter Romanos Medicos exortam esse quęstionem, vtrum Oleum Vitrioli

nun-

nuncupatum conueniret febribus putridis, & malignis, asserentibus alijs, alijs negantibus, & ideò post Verborum concertationem scriptis etiam pugnare cæptum est, an Galenicis rationibus, hoc Chymicum inuentum vtilè probari posset, quædam in lucem prodiere, & quæ (fortè ob celeritatem immatura) frigida, & cruda tu appellas. Sequuta sunt tua extra mediocritatem excocta, & ferè ob nimiam caliditatem exusta: mea ad te accedunt (sicca fortè dices) incompta, & rudia ob celeritatē, insipida ob immaturitatem, & publica luce indigna ob ingenij tenuitatem, imbecillitatemuè, alia expectamus tardigrada, ideò ornatiora, concoctiora, sapidiora, & omnino completa, ac matura, vti ætate prouectiora. αἱ λῦπε̃γαι γὰρ φροντίδες σωφώτεραι. ni parturient montes, nascaturque ridiculus mus. Cum autem hæc scribendi occasio fuerit, voluissem te diutius aliquanto in hoc solo probando immoratum, ac vt euidentibus (si potuisses) rationibus probasses conuenire hoc Oleum febribus putridis, & malignis, tu quidem de hoc apta non pauca dedisti; sed superficialia, & currenti calamo, ac veluti summo pede transigens. Doctorum Italorum, Germanorum, & omnium ferè aliarum Nationum auctoritates hoc commendantium sexcentæ sunt, adeò vt superfluæ sint. (Aduersarij autem, & pauci numero & auctoritate inualidi,) sed quia certatur rationibus, & creditur auctorum testimonijs; ideò rationes, quæ ad id probandum paucæ extant, quærimus, & causas inuestigamus. Ego quidem, vt verum fatear, eo sæpe vtor, experientia conferenti ductus, rationibus quibusdam, & auctoritatibus. alias tamen rationes nancisci (præter eas, quæ apud me sunt) vsum comprobantes gratum esset, & plurimis vtile. Mihi autem, quia frigidum, acidum, & siccans apparet, febri, calori, & putridæ humiditati conuenire videtur, & nè noceat suis qualitatibus nimis intensis, aquæ actuali humiditate aptè consultum censeo, opponitur tamen ratio in prima dubitatione adducta, nec quidem febri vt est calida, & sicca effectio mederi volo siccitate Olei Vitrioli; sed febrili causæ putredinis subiecto, & si dicas cum Hip. *Victus humidus febricitantibus confert*, intelligendum dicam de victu tantum non de medicamentis; & de actualitate non de potentia nam *facilius est impleri potu quam cibo*. Tu si quid habes πρὸς θεῶν afferto.

Nè igitur aduersarij te magis sapere Medici ministrum, quam Medicum ipsum (multos enim in Lunam latrantes audiui) Carbonarium Maledicum, & sordidum seruulum, vanumq. ac Chymericum Poetulam, quam doctum, & expertum Physicum, ac Medicum: nevè referre tantum opus seruile, & Magisterium Olei Chalcanthini, non autem scientificam demonstrationem, quid, quale, propter quid, ac referre huius vsum prout ab alijs didicisti, collegisti, & obseruasti, ac ipse forte casu vsus es, nec reddere rationem, an febribus malignis conueniat, de quo erat quæstio, vnde asserere te dicent non probare, contrarias rationes irridere, & aliquantulum oppugnare; sed non expugnare, quo Empyricum magis quam

Ratio-

Rationalem dicent. Ne igitur hæc & alia obijciantur, Corollarium magis physicum cuperem, quod tibi facillimum certo habeo: noui enim acutum ingenium, facilitatm dicendi, elegantiam sermonis, promptitudinem in redarguendo, obstructa intelligendo, obscura explanando, benignitatem in docendo, ac in medendo præstantiam, prosperamq. fortunam, & ideò principum summorum erga te gratiam, & amorem.

Hæc accipere, legereque pacato animo vir doctissime ac ijsdem respondere Amicè, nè indigeris, Amico enim animo, non carpendi, nec defraudandi opus tuum eruditissimum conscripta sunt. Non essem Amicus, nec tui mererer adipisci Amicitiam, si in omnibus tibi assentiri vellem, didici enim ab eloquentiæ parente. *nullam in Amicitijs pestem esse maiorem, quam assentationem, blanditias, adulationem*. Ideò rectè dicebat Euripides. *Amicos, qui nihil tibi verbis indulgeant comparato*. Nec insulsè loquebatur Diogenes. πολὺ κρεῖττον εἶναι ἐν κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐν κόλακας. Neque me censeto Zoilum, aliorumuè laborum Criticum, censoremq. iniquum, sed veritatis indagandæ cupidum. Non Græcus sum, non Arabs, non Germanus, neque etiam Italus iuratus, sic neque in verbis iuraui summi Hipoc. nec docti Pergameni, subtilisuè Paracelsi, aut alterius magni magistri, qui fuerit homo. Veritate ducor, hanc quæro vbicunque possum, itaque nullius sum sectæ, & omnium: nullius deterreor minis, quin liberè meam proferam sententiam, sic nec terreor tuis verbis fol. 101. quamuis *Ioui ignem suffurari, & Herculi clauam demere* non aspirem (etsi vellem, quid abs tuo libello furem non aspicio) cumq. probè quis fuerit loquutus probabo, aliter non, à Democrito doctus asserente. *Rectè facta collaudare, honestum esse, mala verò laudibus vehere, adulterini animi, ac impostoris esse*. Memento igitur nos omnes homines esse, vt alij fuerunt, & sua cuique placere. Hæc autem à me habetò, mihi, vt plurimum dubia, non certa, sancitàque, ac firmis demonstrationibus confirmata; sed disputandi in modum adnotata, tuum, ac Doctissimi Fabri communis amborum amici, aliorumq. doctissimorum virorum, qui hæc legere dignati fuerint, efflagitantia Censuram, Explicationem, Crisim, ac doctam, definitiuamq. sententiam, æquos tamen Iudices, non liuore, rabie, Amore, aut aliter malo animi pathemate affectos per optarem. Nec censeas me exteras abhorrere Nationes, siquidem Natale solum, educationemque, si respexeris Romanus, si Parentes Belga ero. De hoc vno tandem te commonefactum volo. Italos nequaquam odio flagrare in exteras Nationes, sed omnes amplecti, quod ex ipsorum scriptis agnosces, in quibus, vel alienos non tangunt, vel honorificè: contra quam ipsorum aliqui in illos vbique inuehuntur à quibus tamen quicquid boni habent principium duxit; modestè igitur agas velim, & ardenter si placet, nec enim exclamationibus, & ignominijs argumenta, & difficultates soluuntur, neque etiam censeto alijs iratis conuicia deesse. Modestiam obseruare licet in recentibus Romanorum Medi-

corum ſcriptis, qui etſi iracundè fortaſſe inuicem de Olei Vitrioli viribus certent, tamen nè vnum quidem iracundum leges Verbum. Sed illud præterire minimè poſſum quod in præfactione pag. 19. ſcribis. nimirum Italos hucuſque Chymici laboris tædia faſtidire, & ſubdis. *Veſtes illorum Ambra, Moſcho, Styrace, ac Benzoino profumatæ Hermeticum odorem non ferant, & blandæ Chyrotecula ad carbones tractandos non ſint accommodatæ, inſuperq. ſerica tibialia, ac calcei Sicyonij cineribus obambulandis inepti exiſtant*, *quod dudum Paracelſus monuit, qui in Medico non faſtum, aut corporis ornatum, ſed laboris ſedulitatem, ac experimenti fidem requirit*, tu nè hæc nobis Italis, nobis Romanis obijcis? cogor reſpondere, cogor me, immò tuum Fabrum, iam Medicum Romanum noſtrum, cæteroſque Romanos, ac Italos tueri Medicos, hancq. iniuſtè appoſitam maculam abluere; itaque tuo Paracelſo Medicum ſordidum requirenti opponam maioris auctoritatis Senem Hypocratem, qui Medicum decenter ornatum voluit, vnde etiam librum confecit de Decenti ornatu Medici, quem ſi reuolueris inuenies, ſic ſcribentem. *Qui fuerint ſplendide ornati fugiendi ſunt, & à conſpicientibus odio habendi. Qui verò contrario modo ſe gerunt, frugi homines iudicandi ſunt, quibus non eſt excogitatus apparatus, neque ſuperflua curioſitas. Ex Veſtitu enim cognoſces, & decenti in ipſo ornata, ac frugalitate non ad ſuperfluitatem parato, ſed magis ad bonam opinionem*, vnde ſicut ſuperfluus cultus deridendus, ita diminutus deſpiciendus, eandem opinionem Hip. videtur confirmare. 3. in 6. Epid. 9. vbi habet. *Introitus, ſermones, figura, veſtis, ægrotanti, vngues, odores*. Gal. autem in commento explicat his verbis. *Veſtis mediocris eſto, neque valde ſumptuoſa, vt arrogantiam indicet, neque ſordida, & nimium vilis*. Atque etiam odoris rationem habendam voluit cum Hip. Galenus quod etiam confirmat ipſe Hip. libello de Medico. *Medicus* (inquit) *opinionem captet apud ipſum vulgus veſtitu decoro, & vnguentis odoratis, non ſuſpectum odorem ad omnia habentibus. Inde enim ægros iucundè affici contingit*. Quarè miror te ornatum in Medico contumelijs afficere, cum potius collaudare deberes, an potius laudas ſordidum, maleolentem, pauperrimè indutum, barba incompta, laceris veſtimentis, carbonibus tinctum, & puluere, fuligineq. onuſtum, talem vulgus Dæmonem potius, quam Medicum diceret, quis princeps ad ſe accedere permitteret? Equidem ſcio Germanos Medicos (qui in pretio ſunt) non minus Italis optimis indutos veſtimentis, aureis anulis, & ſumma cum maieſtate vrbes peruagare, & ad principes accedere; immò multis aureis torquibus adeò ornati incedunt, vt videantur noſtræ Vrbis lictorum duces, ſeu ſatellitum præfecti: ijdem ſi domi ſordidi, extra nitidi, an nè tu vir Germanus, & doctus, & Chymicus, & in honore habitus Ciuitatibus vagaris, & ad Principes accedis ſordidus, puluerulentus, & male olens? minimè id ego credo: non igitur ornatum alijs vitio tribuere debes. At pauciores ſunt

in Italia Spagyrici concedam. Reddam etiam tibi rationem Raymunde mi, ob quam non omnes Itali Medici Spagyrici sint, & furnos adorent, vt Germani. Duplex autem est causa, non despectus, non ignorantia Spagyricæ artis; sed altera, quia Germani ob ingentia frigora, & niues hyeme coguntur otio dediti, veluti pro carcere hypocausta colere, vbi vel inter plumas, vel inter furnos, & ignem tempus transigere coacti sunt, hinc necessitas virtus facta est, nos verò ob aeris clementiam non ita ignis indigemus, non ita furnos amamus, nec tamen odio habemus. Altera causa est, quia nostris Medicis vegetabilia, pauca pręuia præparatione, in vsū veniunt. Germanis verò Medicis, fortioribus, & ideò depuratis multiplici præparatione formis, & essentijs opus est; vel quia ibi vegetabilia sint imbecilliora, quā in Italia; & ideò non depurata parum valeant: vel quia ibi morbi pituitosiores, & magis rebelles fortioribus egeant, & quandòque mineralibus; vel denique ob corporum temperaturas frigidiores, & medicamentis inobedientiores: Nec ob id censeas velim Romæ deesse doctos, eruditos, expertos, ac oculatos, Spagyricos, & Chymicos, aut desiderari ocium, benignosque Mœcenates aliudvè quid ad Chymiam requisitum. Dicam cum Mart.

*Nescis heu nescis Domine fastidia Romæ*
*Crede mihi nimium Martia turba sapit.*
*Maiores nusquam rhonchi, iuuenesq. senesq.*
*Et pueri nasum Rhinocerotis habent.*

Scito etiam Romæ abundare Ligna, Carbones, Vitra, Argillam, Vegetabilia, fossilia, & quicquid in mentem venire potest. Quod enim Romæ desideratur, nullibi reperitur; an ignoras hanc caput, hanc cor, hanc vitam, hanc animam Mundi esse?

*Clarius in toto nil videt Orbe dies.*

Roma gentium rectrix, Centrum est Orbis, ad quod veluti lineæ à circumferentia tendunt sapientes omnes, & veluti in puncto permanent. Alter est Oceanus ad quem veluti flumina docti confluunt omnes. Finis, & Meta in qua quiescunt è cursu scientiarum cupidi. Roma est Roma, præter Romam nihil. Hæc sola fuit, est, erit Orbis totus, pars pro toto, Vrbs vrbium, dominantium domina, scientiarum Mater, & cum Catullo.

*Non harum modo, sed quot, aut fuerunt*
*Aut post hac alijs erunt in annis.*

# DEFENSIO ANTIQVORVM VTENTIVM ARSENICO, ET SANDARACHA INTRA CORPVS HVMANVM; ET EORVNDEM RECTVS VSVS.

## AD EVNDEM MINDERERVM

EODEM PETRO CASTELLO AVCTORE.




ROMÆ, Apud Iacobum Maſcardum, MDCXIX.

*Superiorum Permiſſu.*

# AVCTOR LECTORI.



*AEC addere de Sandaracha, & Arsenico Lector Amicè dubitationibus meis Chalcanthinis placuit, quæ etsi minus limata, & elabarata; erunt tamen (vt censeo) causa, vt eadem perpendentes doctiores alij, meliora, puriora, certioraque inueniant, & afferant, sic nos si Deo placuerit, quod nostra non licuit, aliorum assequemur Doctrina, nihil enim magis optamus quam discere, & veritatem aßequi, sic eruditos cuiusque regionis ad quorum manus hæc nostra peruenerint rogamus, vt quod ipsi expertum, circa Medicum Sandarachæ, & Arsenici vsum habent (vtpotè Medicamentis priscis valde vsitatis, vt optimis) impertiri dignentur, vel publica luce, vel priuatis litteris, gratiasq. summas habebimus.*



# DE SANDARACHA, ET ARSENICO GRÆCORVM.



OT affers (doctissime Minderere) in Sandaracham, & Arsenicum Græcorum conuicia; adeò immania, & venenata prædicas; adeò consilij te inopem fateris, adeò Galenicos obiurgas, tamq; acriter nullam Antiquorum defensionem esse proclamas: adeò horum vsum pertimescis; tantam perniciem minaris, tantumq. clamas, & exclamas, vt dulci tandem somno requiescentem, vigilijs multis, ob longam Vitrioli Olei tractationem defessum; ita excitaueris, venenique & Mortis pauore, ita affeceris, vt pro quiete laborem induxeris, omnique procul ablegato somno, hæc præ manibus mineralia habere, tractare, considerare, auctoresq. pro virili tuendos reuoluere veluti per vim coegeris. Tu ergo, qui laborem intulisti, talem libenter accipito mercedem.

## SECTIO I.
### De nomine, & differentijs Arsenici, & Sandarachæ.

AD tractationem deuenientes, conueniamus prius oportet de nomine, ac de re de qua quæritur, igitur *Sandaracha* Arabum est Gummi, seu potius Resina Iuniperi. Sandaracha Pl.lib.21.c.7.est cibus Apum dum operantur, qui dicitur etiam Erithace, & Cerinthum. Σανδαράχη Græcorum de qua loquimur fossilis, & Mineralis res est, sicut Αρσενικόν, quod & ante Gal. (vt ipse testatur 4.de comp.m.l.4.) Αῤῥενικὸν dictum est veteribus, & verbum etiam magis Atticum, quodque distinguendum à nobis est in Arsenicum Minerale, & factitium. *Minerale Arsenicum* nunc vulgo Auripigmentum, & Italicè *Orpimento* nominatū, duplex ex Diosc. est. *Optimum existimatur Crustosum, aureo colore micans, nulli materiæ permistum, in squammas fissile*. Secundo loco ponitur alterum paulo deterius. *Glandis effigie, & ὠχροειδὴς* (vel vt alij legunt) *ἀχροειδής, pallidum, seu luteum, & colore Sandarachæ, glebosum*. Triplex est ex Plin.lib.34. in fine. dictis nimirum addito tertio. *Aureo admisto Sandarachæ colore*, & videtur ex duobus supradictis conflatum. Duplex quoque erit *Factitium Arsenicum* alterum luteo colore, quod vulgo *Arsenicum*

in mineris ſimiliter pectori nocet, vſus tamen conueniens, pectori eſt ſaluberrimus. Nocent autem hæc in mineris ob abundantiam ſiccorum vaporum, & acredinem pulueris inſpirati: parca verò quantitas, vel fumi, vel ſubſtantiæ valde conferens eſt.

Secundo obijcies, in ſublimatione horum plantas, & arbores vicinas à nocuis exhalationibns ita lædi, vt exiccentur, & homines quoq; perimi, quod etiam teſtatur Libauius in praxi Achimiæ. *Eſt autem* (inquit) *nil aliud, quam vapor venenoſus Metallorum, ſeu fumus, qui crudus, & non alteratus, ſummum, & atrociſſimum venenum eſt, etiam omnium rerum, tam homini, quam brutis, herbis, arboribus, & fructibus extremè peſtilens, quando quidem fumo iſto interire cogantur,* & Quercetan. loc. cit. c. 7. venenatum eſſe fumum aſſerit. Hæc ego concedens nihil contra meum inſtitutum concedam. Nam vapor Sulphuris vſti arbores etiam exiccare potentiſſimus eſt, tamen hic pectori ſumme creditur conferens; non eſt igitur qualitas, ſed quantitas, quæ nocet. Aer fodinarum Sulphuris ob excedentem copiam exhalationum peſtilens eſt, aer verò circa fornaces calcis Sulphur redolens, & modicè ob exhalationes impertitas exiccans, aſthmata ſanat, vt ille excitat. nonnè eſt notum Crocum in modica quantitate cordis roborationi, dilatando ſpiritus, ſumme prodeſſe in maiori quantitate ſæpe occidiſſe; Vulgo etiam notum, tritumque eſt *omne nimium Naturæ inimicum*. Arbores autem exiccantur ob nimiam ſiccitatem, non alia de cauſa; quam etiam Boreas quandòque inducendo, ſimiliter plantas occidit, nec aliter Sandaracha poteſt obeſſe pulmoni, niſi ſumme exiccando.

Tertio inſtabis hæc impoſita erodunt, cruſtasq. gignunt, non ita Sulphur. Ita nè cenſes? audi Gal. 6. de comp. m. per g. 2. in Empl. diaſcilles. *Sulphur* (inquit) *tanto calore præditum eſt, vt vbi diutius inhæreat, proculdubio exulceret*. Nec tamen denegare poſſum hæc Sulphure in exulcerando eſſe potentiora; ſed ob id etiam aſſeram ad alias operationes validiora, & ad validiores pectoris morbos, & cum Sulphur non contulerit, & in minori doſi exhibenda. Concludamus igitur cum Sulphur communi Medicorum conſenſu optimum ſit ad aliquot pectoris morbos remedium; etiam Sandaracham, & Auripigmentum, cum ſint de Natura Sulphuris optima ad eoſdem cenſenda eſſe morbos.

Quarto obijcies Meſues, & alij practici, inter præcedentes, ſiue procatharticas Aſthmatis cauſas hanc vnam connumerant, fumorum ſcilicet eleuationem à Sulphure, & alijs Metallicis, cuius hæc ſunt Verba. *Eſt etiam familiaris his, qui Metallica operantur, & mineralia, & qui vtuntur odore Sulphuris, & Colophoniæ, & Picis*, immò Fernelius de abd. rer. cau. lib. 2. c. 15. Sulphur cum Arſenico, & Auripigmento intervenena enumerat. Quomodo igitur Sandaracham, & Sulphur conuenire Græci dicent?

Reſpondet Amatus Luſitanus in Dioſc. quod difficultas Anhelitus duplex

magis, & minus olet combusta Sulphur, cruda verò ex Plin. *melior, quo magis virus redolens*. Acrius etiam est Auripigmentum, quam Sandaracha, ideò hæc Medicis magis familiaris, Auripigmentum vstum obscurè rubens fit, ita Sandarachæ viuido colori minimè assimilatur; verùm si deinde in puluerem comminuatur Sandarachæ puluerizatæ magis assimilatur.

Dicendum etiam videtur Sandaracham, & Auripigmentum naturalia, & cruda Sulphuris Naturæ proxima valde esse, & penè idem. Extat enim peritissimi Gebri de hoc testimonium lib. 1. sum. perf. cap. 15. & de inuent. perf. c. 7. vbi *Arsenicum Sulphuris compar esse dicit*, & lib. 1. sum. perf. par. 3. c. 29. *Arsenicum* (ait) *est de subtili materia, & simile cum Sulphure* (intelligit Auripigmentum, & Sandaracham cruda non præparata) *idcirco non oportet illud aliter definiri, quam Sulphur, in hoc autem diuersificantur à Sulphure, quia est albedinis tinctura de facili, rubedinis, autem difficillimè, Sulphur verò rubedinis de facili, albedinis autem difficillimè, figitur autem Arsenicum sicut Sulphur*, & eligendo lucidum, squammosum, & scissile indicat Auripigmentum primū Diosc. Aliorum etiam addessent Testimonia, sed experientia ipsa similitudinem docet. Hæc enim odore Sulphuris sunt cruda, vt tradit Diosc. & dum vruntur, vt ego percepi. Ardent ambo vt Sulphur, similemq. edunt flammam, similiter igne liquantur, & exhalant, fumum Citrinum producendo; similiter etiam sublimantur, & credo (non enim sum expertus) simili ratione, scilicet per vstionem, Oleum Acidum excipi posse, non ergo mirum, si his antiqui vsi fuere ad Asthmaticos, & alia pectoris vitia, quòd parum varient à Sulphuris Natura, quod Diosc. testatus est. *Prodesse tussibus, suspiriosis, purulenta extussientibus in Ouo sumptum, aut suffitum*, & hoc tum vsi sunt Medici omnes antiqui Hipocrates, Celsus, Scribonius, cæteriq. tum in præsenti recentiores communiter vtuntur omnes, tam Galenici, quæ Paracelsici, adeò communi consensu, vt nunc in Italia, & apud nos omnes passim ad Asthmaticos flores Sulphuris, seu Sulphur sublimatum propinetur: nec vlla ferè sit Romæ officina, quæ Venale hoc Sulphur sublimatum, vel semel, vel bis, vel cum saccharo non habeat. Quercetan. dixit. de Medicina. Spagyricar. præparatione, Sulphur esse Pulmonum Balsamum.

Nec contra facit, quod horum inspiratus in mineris pectori sit inimicus, & venenum, nam si Vannuccius scribit. *Fossores Auripigmenti non eodem die, quo Venam inuenerint id excauare, & in caueis profundissimis degere ore, & naribus clausis Spongia cum Aceto, si vitam seruare ob venenatas exhalationes cupiant*. Sulphuri simile quid accidere scribit Matthiolus. *foditur aperto vndique cœlo, non autem in cuniculis, & subterraneis specubus, in his namque, tum vehementi calore, tum fœtidissimo terræ halitu fossores illico deperirent*. Non ergo hæc mineralia ideò pertimescenda, quia in mineris suis pectori officiant; nam Sulphur quoque

in mineris ſimiliter pectori nocet, vſus tamen conueniens, pectori eſt ſaluberrimus. Nocent autem hæc in mineris ob abundantiam ſiccorum vaporum, & acredinem pulueris inſpirati: parca verò quantitas, vel fumi, vel ſubſtantiæ valde conferens eſt.

Secundo obijcies, in ſublimatione horum plantas, & arbores vicinas à nocuis exhalationibns ita lædi, vt exiccentur, & homines quoq; perimi, quod etiam teſtatur Libauius in praxi Achimiæ. *Eſt autem* (inquit) *nil aliud, quam vapor venenoſus Metallorum, ſeu fumus, qui crudus, & non alteratus, ſummum, & atrociſſimum venenum eſt, etiam omnium rerum, tam homini, quam brutis, herbis, arboribus, & fructibus extremè peſtilens, quando quidem fumo iſto interire cogantur*, & Quercetan. loc. cit. c. 7. venenatum eſſe fumum aſſerit. Hæc ego concedens nihil contra meum inſtitutum concedam. Nam vapor Sulphuris vſti arbores etiam exiccare potentiſſimus eſt, tamen hic pectori ſumme creditur conferens; non eſt igitur qualitas, ſed quantitas, quæ nocet. Aer fodinarum Sulphuris ob excedentem copiam exhalationum peſtilens eſt, aer verò circa fornaces calcis Sulphur redolens, & modicè ob exhalationes impertitas exiccans, aſthmata ſanat, vt ille excitat. nonnè eſt notum Crocum in modica quantitate cordis roborationi, dilatando ſpiritus, ſumme prodeſſe in maiori quantitate ſæpe occidiſſe; Vulgo etiam notum, tritumque eſt *omne nimium Naturæ inimicum*. Arbores autem exiccantur ob nimiam ſiccitatem, non alia de cauſa; quam etiam Boreas quandòque inducendo, ſimiliter plantas occidit, nec aliter Sandaracha poteſt obeſſe pulmoni, niſi ſumme exiccando.

Tertio inſtabis hæc impoſita erodunt, cruſtasq. gignunt, non ita Sulphur. Ita nè cenſes? audi Gal. 6. de comp. m. per g. 2. in Empl. diaſcilles. *Sulphur* (inquit) *tanto calore præditum eſt, vt vbi diutius inhæreat, proculdubio exulceret*. Nec tamen denegare poſſum hæc Sulphure in exulcerando eſſe potentiora; ſed ob id etiam aſſeram ad alias operationes validiora, & ad validiores pectoris morbos, & cum Sulphur non contulerit, & in minori doſi exhibenda. Concludamus igitur cum Sulphur communi Medicorum conſenſu optimum ſit ad aliquot pectoris morbos remedium; etiam Sandaracham, & Auripigmentum, cum ſint de Natura Sulphuris optima ad eoſdem cenſenda eſſe morbos.

Quarto obijcies Meſues, & alij practici, inter præcedentes, ſiue procatharticas Aſthmatis cauſas hanc vnam connumerant, fumorum ſcilicet eleuationem à Sulphure, & alijs Metallicis, cuius hæc ſunt Verba. *Eſt etiam familiaris his, qui Metallica operantur, & mineralia, & qui vtuntur odore Sulphuris, & Colophoniæ, & Picis*, immò Fernelius de abd. rer. cau. lib. 2. c. 15. Sulphur cum Arſenico, & Auripigmento intervenena enumerat. Quomodo igitur Sandaracham, & Sulphur conuenire Græci dicent?

Reſpondet Amatus Luſitanus in Dioſc. quod difficultas Anhelitus duplex

plex est, altera materialis, altera verò sine mat. Materiali Sandaracha conueniens est, crassas, lentas, & tenaces materias subtiliando, & diuidendo, & hac de causa, recentiores, vt Nicolaus, ad Græcorum imitationem ex Sulphure compositiones Asthmaticis conuenientes præparant. Immateriali verò Metallicorum fumi maximè obsunt, immò ita obesse nouimus, vt Metallarij, qui in fodinis Metallũ excauant, inquiruntuè, Asthmatici ferè omnes breui moriantur. Nos autem dicemus aliud medicamentum conuenire sano corpori, aliud ægro, aliter operari in magna copia, aliter in pauca, aliter simplex adhibitum, aliter refractum, & mistum seu occultatum, nec mirum aliqua quem fecerint morbum etiam sanare de quo sexcenta afferrem exempla; non erit igitur mirum Sandaracham sanis nocuam ægris salubrem esse, sicut ex Hipocrate Helleborus sanis periculosus, ægrotis ex eodem summe salubris, vt plurimis egimus in nostro de Helleboris, & Vomitorijs volumine. Præterea aliter medicamentum operatur, si sæpe; aliter, si raro adhibeatur, vel in summa necessitate, in qua aliquid agentes periclitari conuenit. Et cum affectus frigidi, & humidi, & materiales Pulmonem vexauerint, calida, & exiccantia pro affectus excessu valida (vt cuique notum est) sunt requirenda. His hæc Mineralia prodesse censemus. Si verò sanus fuerit Pulmo siccari non postulans certè siccantibus lædetur, & à validioribus magis. Quod si nimis siccus existens humectari desideret, validè exiccantia certam perniciem breui afferent, statuendum igitur, si res postulat, Sandaracham vtilem fore in pauca quantitate, rarò, & admistam resina, melle, vel alijs.

Quinto dices. Differunt hæc à Sulphure, quia hoc etiam si Naturam videatur habere similem, à nullo inter venena epota reponitur, vt illa, præterquam à Fernelio, & paucis quibusdam; vnde hoc dici potest Sulphur benignum, illa venenatum. Agè consideremus, qualis Auripigmenti, & Sandarachæ venefica vis sit? non alia profectò, quam erodens, & caustica. At hæc à qua prodit facultate, occulta nè, vt dicunt, an manifesta? certè non ab alia, quam ab acredine, ac siccitate, cum caliditate iuncta. Quæ accidentia insequuntur? ex Diosc. *Alui, & intestinorum cruciatus, cum vehementi rosione.* Quæ remedia adhibentur? an quæ occulta veneni vi opponantur? minimè, non Theriaca, non Bezoar vllum, *sed præbenda cuncta* (inquit,) *quæ suo admistu illorum acrimoniam hebetant, ac soluunt, & facilem, lubricamuè aluum reddunt.* Solam acrimoniam hebetare intendit: ideò Medici, lacte, pinguibus iuribus, & alijs simili facultate præditis remedijs vtuntur. Nullam determinatam erodunt partem (vt Cantharides etiam distantes Vesicam,) sed solam quam tangunt particulam. Cordi, nisi per accidens officiunt, & secundario, ac mediate, primo enim & per se lædunt carnem subiectam, nec ad cor vapores mittunt. Quid ergo timendum ab assumptione horum? Vlceratio ventriculi; quid ex suffitu? vlcus, vel exiccatio pulmonum.

Qua vi hæ partes vlcerari poſſunt? ſumma vi exiccante, & acri, ideòque erodente. At dicam de vlcere ventriculi, & inteſtinorum nil metuendum, non ſumuntur ſimplicia, & pura; ſed cum Reſina, vel melle, quæ acrimoniam retundunt ex Dioſc. & Plin. Galenus autem 3. de med. par. fac.64. *Cum Ouo Arſenicum fiſſile* (ideſt Auripig.1. Dioſc.) *miſceto, & Piper, & hordei farinam, & Lauri baccas, Pineorum nucleos*, & in potu exhibet, & aliam etiam ſimilem miſturam adiungit. Attulerat etiam ſupra c.18. ad tuſſim duas compoſitiones ex ſciſſili Auripigmento, immò ad tabeſcentes tres miſturas affert, cum Vino, & Ouo, & cum alijs quibuſdam rebus. Similiter Meſc. Auic. & alij Sandaracha, Auripigmentoq. non meris, ſed miſtis vtuntur, ita vt vlcerare non poſſint, nec lædere, ſed exiccando, digerendo, & extergendo iuuare. Annè cenſes, non poſſe miſtione refrangi acredinem, & cauſticam vim Sandaracæ, & Auripigmenti? dixiſti refrangi in Oleo Vitrioli pro libito, cuius tamen celerior, videtur actiuitas, ob partium tenuitatem; cur non in his? Oleum Vitrioli cauſticum eſt, non autem miſtum alijs, idem erit dicendum de his foſſilibus: alijs enim miſta, & cuti adhibita, non vlcerant amplius, nec etiam intus exulcerabunt, immò ob compoſitionem contraria operantur, vt quibus nocebant nimia ſiccitate, proſint moderata: nec enim idem eſt Auripigmentum abſolutè vſurpatum, ac in compoſitione; Vitriolum, Calcithis, vſta, acria, cauſtica (quamuis aliter dicat Dioſc.) ex te ipſo ſunt, an ab his Theriaca erit Eſcharotica? Dioſc. enim, Auic. & alij docent. *Sandaracha erodit, & pilos euellit; miſta cum reſina Alopeciæ medetur.* Plin. *cum Aceto* miſcet. igitur in cõpoſitione pilos gignit, immiſta euellit. Eodem pacto, ſi hæc Aſthma gignunt pura, & in nimia quantitate, idẽ curabunt in pauca, nulla ergo timenda ventriculi vlceratio, nulla valida ſiccitas, nulla inflammatio ab his in potu ſumptis, ſi probe fuerint miſta, & correcta, quæ accidentia ſola, inferre ſolent, immò cum quandòque caſu aliquo ſola fuerint adhibita, & illa praua excitauerint Symptomata, ſi Medici facilè pinguibus, & humectantibus curant, facilius cenſendum eſt, iiſdem ſimul miſtis effecturos nè vnquam lædant; nam quæ morbum factum curant, nè fiat aptius prouidere poſſunt.

Nec horum ſuffitus timendus, cum conuenit, adhibitus, nec enim vlcerare aptus pulmonem, cum non exulceret fumus; ſed ſubſtantia craſſior, & acris, cum extrema ſiccitate, quæ non fertur per fumum, nec multum in pectore reſidet, nec item adeò facilis vlceratù eſt pulmo, (præcipuè nimis humectatus,) à vi exiccante, à qua ſi læditur; nonniſi intemperie ſicca afficitur: ob id in mineris foſſores non afficiuntur vlcere pulmonum, ſed Aſthmate ob ſummam pulmonum ſiccitatem ex inſpiratu aeris ſicciſſimarum exhalationum repleti, immò (quod peius) non fumum inſpirant foſſores; ſed puluerem ex foſſione, commotione, excauatione, ac fractione excitatum, qui cum ſua ſubſtantia acri permiſtus à pulmone per inſpiratum attrahatur, & continuo, & in multa copia, non mirum ſi

pectori

pectori officiat, & quandòque Cor etiam adeò afficitur, vt breuissimè moriantur, sine vlcere aliquo, & hæc est huius veneni vis. Si verò siccatione egemus in Asthmate à plenitudine, horum suffumigium optimum dicemus. Nec nobis erit timori, cum non simplicium fumus (quamquam forte haud noceret) nec assidue, nec in multa copia vsui sit. Dioscorides. *Suffitur cum resina aduersus veterem tussim*. Plinius. *Suffita quòque cum Cedro, ipso nidore, itidem medetur.* Gal. 3. de med. par. fac. cum alijs miscendo vtitur Auripigmento pro suffumigijs. Paul. lib. 3. c. 28. ad tussim miscet Sandaracham Pastillo Capnisto suffumigando, & Alexander quatuor compositiones cum eodem apponit, similiter alias, Auic. Mes. Rasis, & alij antiquiores, nec vnquam his fossilibus puris vtuntur. Addam etiam ex recentioribus multos his vti, vt Capiuaceus præclarus doctor Patauinus. Ad Asthma. Rondel. ad vlcera pulmonum. Bauerius de Bauerijs consil. 6. & 29. & alij plurimi. Gentilis testatur (vt notat Gattinaria) se vidisse mirabilem experientiam in multis cum thure, & alijs similibus. Cæsalp. lib. 6. de Morb. ad Asthma Auripigmentum cum adipe Caprarum suffumigat, laudant Fallop. & Bellocat. Sandarachæ fumum apud Trincauel. lib. 2. consf. 7. ad Asthma. Rogerius autem hoc suffumigium concedit humidis, & carnosis, negat siccis, & extenuatis ab Asthmate. tandem, si Galenicos horum suffumigia commendantes enumerare vellem, deficeret dies, superabundarent probata testimonia, & experimenta.

Sexto dices à Diosc. Auic. & alijs, qui de venenis ex professo agunt inter venena hæc reponi. Fateor, sed qua ratione? vt Caustica, vt Corrosiua, ergo ob summam siccitatem, vt alibi diximus, sunt venena, an vt præcipitatum, & Mercurium sublimatum, sal Vitrioli tuum, & alia validissima caustica: quorum tamen pleraque, & multi Spagyrici dant, & nos dedimus multa cum iucunditate, & vtilitate in pillulis, vel conserua rosarum, nulla tamen vnquam secuta est noxa. Si tamen Sandaracham & Auripigmentũ incongruè fuerint adhibita perniciem illatura confitebor; at non medicamenti, sed artificis culpa, quia, quod debitè applicatum summo foret auxilio ipsius ignorantia venenum esset. Nec omnia, quæ ab auctoribus inter venena numerantur sunt abijcienda, sed prauus ipsorum vsus, idcirco Diosc. inter venena reponit aquam frigidam abundè potam, Meracum Vinum liberalius epotum, aut passum. Mel quoddam, Coriandrum, lac coagulatum. Crocum etiam addit Matth. & alij recentiores. Carnes tostas, & calentes patinis suffocatas, & pannis inuolutas nè exhalent repositas, item carnes, vel pisces locis humidis calentes adseruatos, & refrigeratos, & quidam retulit omnem repletionem esse malam, panis pessimam, hæc autem inter venena connumerantur, vt quæ necem quandòque inferre possint. An ergo ob id, Aqua, Vino, & Passo nos abstinebimus? sed quid potabimus? abstineri nè etiam opus erit carnibus, piscibus, melle, lacte, ac pane? sed quo fami

obsta-

obstabimus? quid esitabimus? nocuus est igitur læthalis, ac venenatus, non conueniens vsus; sed immoderatus, & intempestiuus.

## SECTIO III.
## In quo veneni genere Arsenicum, & Sandaracha ponenda.

INstabis amplius ex Gal. sententia Sandaracham, & Auripigmentum esse propriè venena deleteria, non quantitate solũ; sed qualitate nobis totaq. substantia inimica. Venenum autem illud dicitur, quod aptum natum hominem occidere est, de cuius Natura Verba Gal. ad nostram rem facientia hæc sunt. scilicet de simpl. m. f. 22. *Cæterum, quæ nos contactu, aut per putredinem, aut per erosionem interficiant, ea recta quidem ratione humanæ naturæ deleteria toto genere existimata sunt, non vt frigefacientia dumtaxat quantitate: hæc interdum vincuntur, & nutrimentum animali redduntur, putrefacientia autem, etiam si quantitate minima sumantur omnino tamen corrumpunt, quia videlicet, quæ putredini obnoxia sunt calore, humiditateque putrescere solent, atque calidus, humidusq. sanguis est. Itaque putrescere nunquam cessare possunt, simulq. vicissim putrefacere, quæ σηπτικά à putrefactione vocantur medicamina. Proinde longo etiam post tempore à quò sumpta sunt nonnulla interimunt, potissimum, quæ crassa, terrenaq. essentia sunt. Hæc enim corporibus nostris inhærentia, insidentiaque dein temporis spatio putrescentia, erodunt, corrumpuntq. vicinas corporis partes.* Hic Gal. venena à tota substantia deleteria appellat, tam putrefacientia calida, & humida, quam erodentia calida, & sicca, quo in numero sunt Sandaracha, & Auripigmentum, sed manifestius lib. 5. cap. 15. *Non quicquid corrumpitur σήπεσθαι hoc est putrescere dicimus; sed quibus id cum fœtore accidit, sed de nominibus non admodum esse sollicitum oportet. Verum nouisse expedit ea medicamina, quæ Septa, & Septica nuncupantur, vt sunt Auripigmentum, Sandaracha, Chrysocolla, Dryopteris, Pytiocampe, Aconitum, omnia tum eliquare, tum colliquare, ac potissimum carnem tenellam, idque absque dolore.* Ex quibus verbis luce clarius constat in sententia Galeni non posse negari, hæc esse venena deleteria tota substantia.

Equidem fateor esse venena deleteria ex mente Galeni corrodentia, & caustica, non tamen concedam, omnino ableganda ab vsu Medico, & antequam ostendam, quomodo venena etiam corporibus nostris prosint. Veneni talem præponemus diuisionem. Venenum aliud est tale sola quantitate, quod nimirum tantum nocet in nimia quantitate, in pauca verò à Naturali calore euincitur, talia autem sunt venena frigida, & quandòque repletio nimia Panis, Vini, Mulsæ, & huiusmodi, quæ auctores inter venena reponunt. Aliud est venenum qualitate praua, & substantia

ſtantia inuincibili, non enim à calore naturali permutari,& ſuperari poteſt,& hoc à Gal. dicitur venenum propriè, & deleterium,& quod etiam in pauca doſi lædat, in minima autem mole etiam ſi nocere haud poſſit, non tamen euincitur vnquam, quod etiam iterum diuidendum in venenum qualitate occulta, vel manifeſta. Venenum qualitate manifeſta, vel determinatum,vel indeterminatum, eſt autem tale, vel nimia caliditate, vel ſiccitate, vel humiditate, noluit Gal. frigiditatem nimiam eſſe venenum per ſe deleterium, venenum autem indeterminatum dicimus id, quod nocet parti ſoli, cui incumbit,non alijs, & talia ſunt Calx, Euphorbium, Arſenicum, & huiuſmodi alia, quæ nullam determinatam partem ſemper oppugnant. Auic. hæc qualitate tantum non ſubſtantia venena dicit, & his medemur tantum remedijs intemperiem calidam, vel ſiccam tollentibus. His peiora ſunt venena,quæ quamuis manifeſtis tantum videantur agere qualitatibus, tamen determinata ſunt, ſcilicet determinatam ſemper partem inuadunt, quocumque loco imponantur, vt Cantharides,hæc enim præter qualitatem erodentem,& ſiccam nimis, aliam quandam videntur habere, qua feruntur ad Veſicam, & hæc venena qualitate manifeſta nocentia, & iuuantur medicamentis qualitate etiam manifeſta oppoſitis ſcilicet humectantibus, ac pinguibus, & determinate Veſicam humectantibus. Et quamuis dixerit Gal. vt ſupra citauimus hæc etiam in minima quantitate nocere, contrarium tamen, & alibi docet,& conſtat exemplo Cantharidum,quæ in pauciſſima quantitate lædere nequeunt; immò in compoſitione cum alijs medicamentis hæc venena minimè nocere clare patet, quia ſi ab aliquo fuerint intus ſumpta, ſcribit Gal. 3. de ſimpl. m. f. 23. *Ferè accidit,vt duas ob cauſas, quandòque medicamenta putredine, eroſioneuè necantia non interficiant, vnam videlicet nempe cum ſimul cum excrementis excernuntur, priuſquam iniuria corpus afficiant: alteram ſi cui accipienti bona faueat fortuna,videlicet,aut cibis,aut quæ alioqui conferunt vtenti,aut Medicum, qui curando præſit nacto*. Conſtat igitur ex Galeno hæc venena prohiberi, nè erodant, cibis aſſumptis, & alijs rebus, & ope medica, & quandòque ſine his Auxilijs à Natura expelli.Denique omnium peſſimum appellabimus venenum illud,quod non ſubſtantia ſua, cum ſit potius ſpirituoſum; non qualitatibus manifeſtis, ſed ob eam,quam occultam dicunt, indicibilem, & ferè inuiſibilem qualitatem, & formam, noceat. Atque hoc genus Auic. primo lædere cor, & ſtatim ſcripſit. Tale eſt venenum ex ictu Scorpij, adeò enim eſt exiguum, vt viſum effugiat, ſæuiſſima tamen, & acutiſſima ſequitur actio, hoc retundi qualitatibus medicamentorum manifeſtis nequit, hoc cælari non poteſt ſi ſanguinem tetigerit, nam quod intus aſſumptum non noceat, & quare longius egimus in tractatu noſtro de inſectis lib. 1.& lib.4.

SE-

## SECTIO IV.

## Arsenicum, & Sandaracham non esse venenum putrefactiuum contra Fernelium.

SEd explicandum Arrhenicum, & Sandaracham non esse verè Septica, & putrefacientia, vt decepti sunt plures non rectè percipientes Gal. verba. Atque hic totis viribus mihi cum Doctissimo Fernelio certandum est, plura enim affert lib.6.meth.med.c.18. de Auripigmento,& Sandaracha, quæ mihi non probantur, & primo quidem ait. *Putrefaciens medicamentum Græcis σηπτικὸν est, quod tum humorum, tum corporis materiam labefactat, & cum fœtore quodam corrumpit*, deinde subdit. *Hoc summa caloris acrimonia insitum nobis calorem, aut dissipat, aut in igneum conuertit, simulq. qualitate maligna humidum primogenium dissoluit, & omnem partis substantiam tabefacit, atque colliquat, & putredinem cum fœtore inducit*, demum ait. *Hoc genere sunt Auripigmentum, seu Arrhenicum, tum purum, tum sublimatum, Sandaracha, Chrysocolla, Aconitum, Dryopteris, Pythiocampe. Hæc quidem licet vehementer calida, nec tamen Caustica sunt, atque Escharotica, nec crustam in nuda carne gignunt; sed qualitate prorsus maligna, atque venenata, carnis, quam attingunt substantiam corrumpunt, & in putredinem cadauerosam deducunt, quæ multo deterior est, quam ex Gangrena venenata autem eorum vis sensim intro subiens præcordia, visceraque ferit*. Huic omnino assentitur Quercetan. de M. Spagyr. præp. c.7. de Arsenico, alijque nonnulli idem etiam asserunt. Quæ si vera essent multum contra nos facere alicui videri possent. Sed decipiuntur omnes, meo quidem iudicio. Propterea ostendam primo Auripigmentum, & Sandaracham esse Caustica, & Escharotica, quod negat Fernelius, secundo non esse verè Septica, & putrefacientia cum fœtore, sed impropriè dici Septica eò tantum. quod sint corrosiua.

Primo igitur asserimus Arsenicum, & Sandaracham esse Caustica, & Escharotica testibus antiquis, & probatis. Diosc. Δύναμιν δὲ ἔχει σηπτικήν τε καὶ συπτικὴν καὶ ἐσχαρωτικὴν μετὰ πυρώσεως καὶ βιαίας δήξεως. *Vim habet astrictoriam & erodentem crustas cum vehementi vredine, & violento morsu excitat*. Plin.lib.34.c.vlt. *Caussticis additur & Psilotris*, & Gal. ipse 9. de sim. med. fac. *Arsenicum facultatis est caustica, siue vrentis, idque tam combustum, quam vstionis expers*. Et de Sandaracha. *Vrentis est facultatis, vt Arsenicum*. confirmauit id P. Ægineta lib.7. Καυστικῆς ἐστὶ δυνάμεως. *Vis est Caustica*, & de Sandaracha. Σανδαράχη. Καυστικῆς ἐστὶ δυνάμεως, ὥσπερ καὶ τὸ ἀρσενικόν. *Causticæ est facultatis quemadmodum Auripigmentum*, nec auctores isti cum de his ex professo capitibus proprijs agunt esse putrefacientia dicunt, condonandum est autem Auic. si putrefactiua appellat,

pellat, nam interpretum Barbaries est, itaque Caustica statuantur Arsenicum, & Sandaracha velit, nolituè Fernelius, sed errandi Occasionem sumpsit ex lib. 5. de simp. med. f. 15. vbi sententiam suam valde obscurè affert Gal. scribens enim ibi. *Hæc crustam non faciunt, & vocantur septica*, contrarium asserit tamen postea lib. 9. vt mox dicemus.

Secundo nobis est probandum Arsenicum, & Sandaracham non esse verè Septica, & putrefacientia. Itaque asserimus nomen Septici sumi dupliciter propriæ quidem pro qualitate ea, quæ humiditate, & caliditate maligna carnes cum fœtore putrefacit, cuius generis est ex Diosc. Nicandro, & alijs, qualitas illa venefica ex Morsu Scolopendræ, Pastinacæ Marinæ ictu. Muris Aranei, Natricis, Cencriq. Serpentium, Et huiusmodi, quorum morsibus vlcera putrida, saniosa, serpentia, fœtida statim sequuta, carnem consumunt totam. Septica impropriè sunt calida, & sicca, & tale est Arsenicum. Quod totum desumptum est à Gal. loc. cit. scribente. *Cæterum de quibus nunc agitur, crustam non faciunt & vocantur septica hoc est putrefacientia haud quidem appellatione propria; nam quæ verè sunt Septica, humectant simul, & calefaciunt: Veruntamen Symptomatis similitudo, vt sic appellemus, efficit, vtpotè cum ab vtrisque nullo doloris sensu fiat corruptio*. Non erit igitur Arsenicum verè Septicum, & cũ fœtore; sed impropria loquutione, & similitudine quadam externa non interna: consumunt enim vtraq; genera carnem sine dolore ex Gal. Nouimus nos tamen ex Diosc. Auripigmentum Sandaracham, & Pityocampem cutem cum dolore exulcerare, quòd facile est experiri incredulo, & deceptus est Fernelius reponens Arsenicum, & alia inter Septica primi, & proprij Ordinis, ac si vnum tantum, non duo Septicorum genera essent apud Gal.

Immò tantum abest Arsenicum fœtidam putredinem, & corrosionem saniosam excitare, vt potius eam inhibeat, sua nimirum sicca qualitate, alterius humidæ sese opponens, quod constat ex Diosc. qui *Prodest (inquit) ad Narium, orisq. putrida vlcera*. Auic. confert vlceribus capitis manantibus, & putredini, & ceratum factum ex eo confert Herpeti Hestiomeno in ore, & naso, & vlceribus eorum, sed quid plura? Gal. Scribonius, Marcellus, Paulus, cæteriq. probati Medici, Arsenico, & Sandaracha vtuntur in collyrijs, & in pastillis ad inhibenda putrida, serpentiaq. vlcera, quorum infinitas descriptiones apud ipsos legere est. legatur si placet Gal. c. 5. lib. 5. de com. m. l. vbi innumeras iniectiones affert ad vlcera dyssenterica cũ Auripigmento, & Sandaracha, quod si essent putrefacientia propriè, vt malè censuit Fernelius, quà Methodo, quauè indicatione vsum diceremus Gal. hæc applicãdo putridis, & exedentibus vlceribus? si ergo Arsenicum, & Sandaracha sanant putredines, nullo modo medicamenta, & venena putrida dicenda erunt. Respondeant quæso Aduersarij, Præcipitatum non nè eiusdem cum Arsenico est gradus? nonnè Gallica serpentia, putridaq. vlcera sine dolore

tollit? an putrefaciendo, vel se putredini opponendo? non negabunt pręcipitato, putredines tolli, neque etiam erit negandum Arsenico.

Pręterea si Arsenicum esset venenum putrefaciens cum fœtore (vt vult Fernelius) certè intus assumptum viscera putrefaceret; sed hoc est falsum; nam corrodit tantum cum magno dolore, teste Diosc. Petro de Ebano, & cæteris, qui de venenis agunt. Clarum hoc est, nam omnes Arsenico occurrendum volunt, Lacte, Butyro, Oleo, & pinguibus, quæ humectent, an censent humectantibus tolli putredines? non est igitur putrefaciens, sed erodens, & Causticum, differt solum à verè Causticis, quæ violentur agunt, Arsenicum, & præcipitatum remissius, Sæpe tamen, & ipsa crustas gignunt.

Nec valet exemplum à Fernelio allatum de muliere quæ Arsenico imposito, & sublimato Mammæ Cancro sex dierum spatio, è vita discessit, nam primo ipsius error fuit scriperat enim Hip. *Cancros curatos citius mortem inferre*, non ergo mirum si validissimo, & facultate siccissimo medicamento imposito, morbo illi à sicco, Melancholicoq. orto humore, vlcus fuerit ita exacerbatus, & malignus humor irritatus, vt breui mortem intulerit, nec accidentia illa, quæ enumerat Fernelius conueniunt cum ijs, quæ Diosc. accidere ab assumpto Arsenico tradit, non igitur Arsenici venenata qualitas, mortis causa; sed alia; fortasse atrabilis, & maligna regurgitans ad ventriculum, vnde vomitus, & Animi defectus, pulsus imbecillitas, rigores, frigora, & mors.

Cum ergo Sandaracæ, & Auripigmenti Hostis Fernelius, rationi minimè consentanea afferat, minime etiam erunt reijciendа hæc, vt voluit ipse.

Quercet. & alij Chymici censent. *Prauam illam qualitatem in Spiritu siue in aura illa fœtida, & atro fumo, quam minimo calore emittunt consistere, ac Acrimoniam in solo sale*; ideò fixatione venenum omne spiritibus adimere conantur, acrimoniam verò tollere salis extractione, sed de his postea iudicium nostrum audies.

## SECTIO V.

## Qua ratione Arsenicum, & Sandaracha conueniant vsui Medico.

HIs positis nobis inuestigandum proponemus, an omnia venenorum hæc genera in vsum medicum trahi possint, soleant, & debeant. Venena igitur qualitate frigida, quæ quãtitate solùm nocere voluit Gal. vt Opium, Mandragora, Hyosciamus, Coriandrum, Psillium, & huiusmodi alia nemo ignorat Medicis in vsu frequentissimo, & fuisse, & esse. Venena etiam occulta qualitate nocentia vsitata etiam docent Auctores plurimi, qualia sunt Cinis Scorpionum, Aranei deuorati, caro Viperæ,

iecur

iecur canis rabidi, nec ob id, quod venenis, vt sanitatis instrumentis vsi fuerint antiqui à Plinio vituperantur; sed magnopere commendantur lib,27.c.2.vbi hæc notatu dignissima verba exarauit. *Sed antiquorum curam, diligentiamque quis possit satis venerari cum constet omnium venenorum Ocyssimum esse Aconitum*, & subdit. *Hoc quoque tamen in vsus humanæ salutis vertere Scorpionum ictibus aduersari experiendo datum in Vino calido. Ea est natura, vt hominem occidat, nisi inuenerit, quod in homine perimat, cum eo solo colluctatur, veluti pari intus inuento. Sola hac pugna est cum venenum in visceribus reperit, mirumque exitialia per se ambo cum sint duo venena in homine commoriuntur, vt homo superstit.* Idem confirmat Ausonij Epigramma illud.

*Toxica Zelotypo dedit vxor mœcha marito,*
*Nec satis ad Mortem credidit esse datum:*
*Miscuit Argenti læthalia pondera viui.*
*Cogeret vt celerem vis geminata necem.*
*Diuidat hæc si quis, faciunt discreta venenum,*
*Antidotum sumet, qui sociata bibet.*
*Ergo inter sese dum pocula noxia certant,*
*Cessit læthalis noxa salutiferæ.*
*Protinus, & vacuos alui petiere recessus,*
*Lubrica deiectis qua via nota cibis.*
*Quam pia cura Deum? prodest crudelior vxor:*
*Et cum fata volunt, bina venena iuuant.*

Et ratio manifestissima est, cum enim extremis extrema opponantur, qualitati extremæ nocenti iure opponimus, aliam oppositam in extremo, quæ dum inter se agunt neuter excessus lædit corpus, Diosc. etiam testatur Rhododendri folia, & flores hominibus contra Serpentium morsus præsidia è Vino pota, alioqui inter venena. Adsunt etiam alia pessima venena, quæ tamen pota, quandòque summe nobis periclitantibus auxilio sunt, vt Hydrargirum, quod tu etiam fateris. Litargyrum etiam à Diosc. Nicandro, & alijs inter venena numeratur, tamen Rasis, & Guainerius de flux bus c.6. huius vsum super omnia alia extollunt ad dyarrheas, & ego testari possum me bis hoc vsum in acerrima dysenteria, cum vtilitate magna. Si ergo quandòque salutaris est vsus rerum occulta, & pessima qualitate nocentium, non debet esse mirum, si imbecilliora venena, quæ nocent tantum manifesta aliqua qualitate in vsum Medicum, quandòque veniunt. Cantharides quidem non sunt in vltimo gradu malignitatis; sed nec etiam in primo; nocent enim erodendo ob manifestas qualitates acres, calidas, & siccissimas, insuper feruntur proprietate quadam ad Vesicam, siue sit ἀντιπάθεια, siue συμπάθεια. per se igitur hæ adhibitæ certò certius exulcerabunt tam partem tactã, & proximam, quam Vesicam distantem, in compositione verò refracta vi exulcerandi non amplius lædent, sed ob vim illam occultam respiciendi Ve-

sicam non refractam, ad Vesicam ducent medicamenta mista, cuius rei testis erit Gal. 3. de sim. m. f. 23. *Sanè* (inquit) *Cantharides vrinam cientibus medicamentis miscentur, sicut pleràque alia læthalia Alexipharmacis. Atque id genus medicamenta composita, si aptè mista fuerint omnino efficacissima erunt*. His sic stantibus maiori vtilitate, & minori metu venenis illis nos vti posse dicemus, quæ venena tantum sunt ob qualitatem aliquam nimis validam, manifestam tamen, vt acrem, acidam, calidam &c. omnes enim qualitates in summo venena sunt. facile hoc patet; quia hæc manifesta qualitas facilè retunditur mistione contrariæ qualitatis: in horum autem numero sunt Auripigmentū, & Sandaracha, & alia caustica sine proprietate occulta, & determinata, hæc autem nullam habere qualitatem occultam nocuam ex eo mihi innotescit, quia læsio ab his facta pinguibus tantum, & humectantibus cum viscositate quadam sanetur, nulla opus habens qualitate occulta contraria, quod omnibus huius rei manifestissimum signum debere esse censeo.

Statuendum igitur pro confesso Sandaracham, & Auripigmentum esse aliquo modo venena idest occidere homines posse, quia acerrima, & erodentia quicquid tetigerint, propter extremam siccandi vim cum caliditate coniunctam. Arsenicum autem Chrystallinum, & Realgar ipsis multo esse potentiora in erodendo, propterea, etiam magis siccantia, & hanc vim non haberet ab igne impressam, vt de Vitriolo diximus; sed ob disiunctionem particularum aliquot, quæ vt minus siccarent efficiebant, atque Arsenicum Chrystallinum magnam vim habere à sale se cum sublimato, Realgar verò nil aliud esse, nisi partes acriores ipsius Auripigmenti depuratas, in hoc tamen fatendum nobis est differre Auripigmentū à Sulphure, quia Sulphur sublimatum minus nocens Arsenico sublimato est, sicut fumus Arsenici nocentior eo, qui est à Sulphure, vnde Libauius, & alij prohibent in fixatione, & sublimatione Arsenici adesse operarios; sed abire iubent, fumus autem Arsenici non nocet, nisi ob extremam siccandi vim, quicquid dicat Quercetanus de med. Spagyr. præparatione c. 7. & ideò pulmonem siccando Asthmaticos sæpè efficit, non Phthisicos ex vlcere pulmonum. Cor etiam nimis exiccando Ethicam inducit, si verò affatim ingruat, spiritus cordis nimis exiccati destituunt ipsum cor, & celerrima sequitur Mors. Ecce tibi concessi, mi Raymunde, Sandaracham, & Arsenicum esse venena, etiam ex mente Galeni, & quomodo sint talia tibi explicaui, tradidi etiam plurima venena, & nobis inimica non solum esse apta ad externos vsus; sed vtilia etiam in potu, vt dixi, & tu quòque fateris, c. 10. libelli tui, in Clysteribus etiam acerrimis medicamentis vsos fuisse Antiquos præcipuè in dysenteria, quales sunt calx viua, fœx vsta, Æs vstum, squamma æris, cartha vsta, & nostra Sandaracha, & Auripigmentū, ac similia acerrima, à quibus antiquitas non solum non metuit exulcerationem intestinorum; sed ea adhibuit iā exulceratis sanandis, vt ex Gal. facile est discere lib. 9. de comp. m. loc. 5.

loc. 5. vbi ex Androm. infusa 15. ex Asclepiade, duo affert. Qua igitur ratione metues vlcus intestinorum ab his, quæ iam factum sanare solent?

## SECTIO VI.
## Vires Medicæ Auripigmenti, & Sandarachæ.

MEæ nunc esse partes videntur explicare, quo pacto hæc validissima medicamenta in vsum Medicum, sine læsione traduci possint Gal. 4. de sim. m. f. 19. *Primum* (inquit) *exactè acres sapores calidos dicimus, deinde exedentes, vrentes, crustam molientes, ac deniq; etiam colliquantes, eosque omnes, vel cuti impositos esse huiusmodi. Sin intro in corpus sumantur si quidem tota substantia animanti cuipiam summe aduersentur, putrefacientes omnes, deleteriosq. eius generis animantium, sin caloris dumtaxat immoderatione, si crassæ sint essentiæ, terreæque, intestina exulcerandi pollere facultate, sin tenuis vrinam, sudoremq. ciendi vim habere, in summa autem incidendi, & digerendi per halitum, ex quo genere, quædam, tum expuitionibus ex thorace, tum mensium motibus auxiliantur.* Sint igitur Auripigmentum, & Sandaracha venena deleteria, non nè hæc vtilia quandòque? patet ex his mox dictis verbis. *Ex quo genere, quædam tum expuitionibus ex thorace auxiliantur.* Ex genere nimirum acrium, vrentium, putrefacientium, ex quibus sunt Auripigmentum, Sandaracha, Sulphur & alia, & subdens *mensium motibus* intelligit Cantharides. Erunt ergo Sandaracha, Auripigmentum, & Sulphur Medicamenta calida, & sicca in summo, acerrimàque, & valde incidentia, digerentia, resoluentia, ac detergentia, &, si non fuerint correcta, refracta, & imbecillitata, etiam corrodentia, & Escharotica, corrigi tamen facile possunt; ob quas facultates, optima, & Galenica methodo iure Asthmaticis, Tussi Veteri, & Empicis in Phthisim propensis, alijsq. pectoris morbis in potu, & suffitu adhibentur. Si temperamentum ægri sit frigidius, & humidius, habitus corporis non tenuis, nec extenuatus, non febricitans: materia autem pituitosa, crassa, & viscida, aliaque imbecilliora remedia non contulerint extremum enim est Remedium. Paul. autem scribit lib. 3. cap. 29. *Incurandis suspiriosis huc omnis cura dirigenda est, vt per extenuantia, abstergentiaque medicamina glutinosus humor, & crassus absumatur.* Idipsum Sulphur operando ab omnibus extollitur. Ad eosdem etiam suspiriosos valere Chrysocollam scripsit Pl. lib. 33. c. 5. *Datur* (inquit) *in Angina, Orthopneaq. miscenda cum melle* hanc tamen corrosiuam, & necem inferentem dixit Diosc. & nos idem præstare cum omnibus antiquis dicemus Sandaracham, & Auripigmentum Gal. autem 7. de comp. m. loc. 6. ad Asthmaticos. *Proprium* (inquit) *affectioni viscosorum, ac crassorum humorum, vt per attenuantia, & extergentia Pharmaca consumantur, ei verò quæ propter tumorem abscessui*

*similem*

*ſimilem contingit, vt per attenuantia, & reſiccantia eadem conſumptio fiat: quæ curatio rurſus omnibus in profundo corporis abſceſſibus communis exiſtit.* Hæc autem eſſe digerentia idem docuit 3 de comp. med. per g. 2. *Porrò* (ait) *ex Metallis Auripigmentum, & Sulphur, tum ſubtilia, tum calida ſunt.* mox ſubdit. *Neruorum vulneribus ex vſu ideò ſunt, quod ex alto humores educere, digerereq. natura poſſunt.* Docens autem Alex. Trall. quando his vtendum ſit, ſcribit. *Victu, & remedijs calidis, & ſiccis in Aſthmate non eſt vtendum, niſi tantum in illis, qui frigidis, viſcoſis, craſſisq. humoribus ſcatent, ad hæc, qui temperamento humidiore, & frigidiore præditi videntur, & ſi cibo copioſiore, balneisq. intempeſtiuis antea vſi fuerint, in talibus enim omnes, qui nos præceſſerunt Medici ex Sinapi, Aphronitro, & Sulphure compoſita adhibuerunt.* Ex quo diſcant etiam omnes non ſemper conuenire Aſthmaticis flores Sulphuris. His addam Galeni aliud teſtimonium 9 de ſimpl. m. f. *Sandarace* (inquit) *vrentis eſt facultatis, ceu Arſenicum, meritò itaque eam digerentibus facultatibus commiſcent, atque extergentibus.* Et ob hanc digerendi, & extergendi validam facultatem credendum eſt non ſolum pectoris morbis conuenire; ſed alijs etiam. rectè igitur miſcetur in Antidoto ex Lyci commentarijs apud Paul. lib. 5. c. 13. ad Viperarum morſus, Sandaracha, quamuis Cornarius hoc loco textum Pauli corruptum cenſeat, & vbi σανδαράχης eſt. reponendum ἀνδράχνης. Sed decipitur Cornarius. At Nicolaus in Athanaſia maiori recipit Auripigmentum, & Auic. in cura icteri proponit Arſenicum ideſt Auripigmentum, cum corticibus granatorum, & lacte Aſinino, & lib. 3. fen. 14. tr. 3. c. 19. ad percuſſionem Hepatis expreſſis verbis, ſic legitur. *In fine autem rei, & quum non cauetur ab inflammatione, & apoſtematione, oportet, vt in potu ſumatur de hoc trociſco, ℞. Reu. Seni, Laccam, Zingiber fiant ex eis trociſci, & quandòque ponitur cum eis aliquid Arſenici citrini* (ideſt Auripigmenti) *quoniam ipſum eſt mirabilis virtutis in repercuſſione, & reſolutione ſanguinis,* quod repetijt lib. 4. f. 4. tr. 2. c. 5. de caſu, & offenſione. *Et Arſenico* (inquit) *eſt virtus mirabilis in omnibus, quæ ſunt neceſſaria de incarnatione, & reſolutione ſanguinis, & prohibitione nocumenti, quum in potu ſumitur.* Nec placet Coſtei, Mariani Sancti Barolitani, & aliorum opinio cenſentium his locis Auic. intelligere non Arſenicum, ſed Arſeni, quod Cinnamomi nigri ſpeciem eſſe Auenzoar teſtatur; nam Cinnamomum dicta præſtare nequit, & apertè ſcribit Auic. Arſenicum citrinum, non Arſeni nigrum, nec per Arſenicum citrinum voluit Realgar, ſed Auripigmentum, vt diſtingueret à rubeo ideſt Sandaracha. Dynus etiam in commento, & alij Auripigmentum explicant. Pedemont. ſupradictum trociſ. in ſuam transfert praxim, & alij, & Marianus ipſe inuitus fatetur Arſenicum in ſuffumigijs mirè catarrhis prodeſſe, ſed negat docere vtendi modum, ne iuuenes nimis audaces fiant. Nec ſine ratione dicendus eſt Auic. Auripigmento vti. Acerrimum enim

eſt,

est, & tenuis essentiæ calefaciens, & exiccans, ac aliquantum astringens, resoluens validè, & extergens: ideò sanguinem exuenatum resoluit, & partem corroborat, quia verò non simplex sumitur; sed mistione correctum, non erodit, adde paucam dosim lædere non posse.

Sunt etiam alij horum salubres vsus, in trociscis pro infusionibus ad dysentericos desperatos, vt tradunt Marcell. Gal. Paul. & alij. ac de Sandaracha scribit Plin. *Additur oculorum medicamentis*, Auctor Arabs nomine Iesu Hali, qui scripsit de morbis Oculorum. *Arsenicum vtrumque remouet vestigium sanguinis mortui ex percussione*, quod etiam Auic. & Serapio affirmant. Marcellus Empyricus affert, Collyrium ad Oculorum suffusiones, caliginem, & albugines detergendas cum Auripigmento cuius mistura apud ipsum legi potest, insuper ad vlcera oris compositiones Antheras à Græcis dictas duas cum Sandaracha Pontica, & vnam cum Auripigmento affert idem Auctor, alia etiam testimonia probatorum Auctorum afferri possunt, sed hæc sint satis.

At præter dictas rationes Auripigmentũ, & Sandarachã habere etiam proprietatem quandam pectori conferentem, experientia hac videtur agnosci, si quidem aquas minerales his mistas pectoris morbis conducere ferunt, si vera scribunt, qui de his agunt, quippe Agricola de Natura eorum, quæ ex terra effluunt, lib. 2. fol. 113. *Aquæ (inquit) Auripigmento infectæ calefaciunt, & astringunt, item Sandaracha, sed hæ ipsæ vocem purgant, & suspiriosis prosunt*, & Pl. lib. 31. cap. 2. scribit. *Varro tradit Zane in Africa fontem esse, quo canoræ Voces fiant*. Agricola f. 118. censuit hanc aquam Sandaracha esse infectam, ea enim vocem purgat. Denique Plin. lib. 34. in fine. cum dixisset Sandaracham, sistere, excalefacere, perrodere subdit. *Fauces purgat cum melle sumpta: Vocem Lympidam, ac canoram facit, suspiriosis, tussientibusq. iucundè medetur, cum resina terebintina in cibo sumpta* bene consideratis his Plinij verbis reperiemus *iucundè mederi*, si iucundè ergò etiam tuto, non enim vitæ periculum, non venenum potest esse iucundum, & quoniam validum est remedium etiam cito proderit, ideò optimum appellabimus auxilium, iucundè, tutò, & cito curans, si faucibus prodest cum melle, delingi certè debet, si canoram vocem facit, non potest, nec solet exulcerare, nec minimum quidem nocere.

Hactenus ostendisse mihi videor Sandaracæ vsum, atque Auripigmenti non despiciendum à Medicis recentioribus. Arsenico autem factitio duplici, cum hoc non sit vsa antiquitas, neque vtendum censeo; non quia occultam venenatam qualitatem habere credam, didici enim læsos curari tantum manifestis contrarijs qualitatibus, non semel: vidimus etiam sæpe in plateis circulatores Arsenicum Chryſtallinum deuorantes, sine incommodo, sed nocebit ob summam actiuitatẽ, & potentiam in minima mole, nimirũ ob erodentem à summa siccitate vim. Imperatus tradit aliquos vti Risigallo ad Cancros extirpandos, sed cautè, nè inducat febrem

cum

oum butyro, vtuntur, & aliqui in ſuffumigijs. Cum autem Paracelſus ſcribit Arſenici drach. j. ſeu aureum vnũ adeò vehemens, & exitiale venenum eſſe, vt fortiſſimum equum horarum trium ſpatio extinguat, quem locum tu, Libauius, & alij citantes intelligendum ſciatis de Arſenico ſublimato, non de minerali crudo. Hoc tamen etiam in humanæ ſalutis commodum à Natura, & arte factũ videtur, ab extra enim in ſacculo geſtatum cordis regioni proximum à peſte, & peſtilenti febre homines tuetur, vt à fide dignis id expertis, & audiui, & pro ſecreto habui, extat tamen apud Scriptores. Atqui de hoc Amuleto Crato fol. 1074. hæc tradit *didici etiam à peritiſſimo Medico, Carpi inſignis Chirurgi Bononienſis diſcipulo, ſolitum fuiſſe Carpum eiusq. familiares circa cordis regionem Arſenicum album geſtare, vt cor veneno aſſuefieret, & veneno peſtilentiali poſſet reſiſtere.* Conſtat autem Carpum cum ſuis ſectatoribus in multis peſtilentijs incolumem fuiſſe ſeruatum. Cæſalp. lib. 1. de metall c. 30. de Sandaracha ſic habet. *Quidam geſtant ſacculum ex Auripigmento, vel Arſenico ſupra cordis Regionem in peſte ad arcendam vim tabificam à corde attrahit enim virus, & prauos vapores abſumit.* Idem affirmant Iordanus in peſtis Phænomenis, Vannuccius in ſua Pyrotechnia, Rullandus de morbo Vngarico, Libauius in praxi Alchimię, & alij. Monardes autem cap. de Bezoar, & Michael Mercatus de peſte. ſublimatum ex Mercurio ſimiliter geſtatum laudant. Turneiſſer lib. 1. Hiſt. plant. cap. 5. Arſenici trociſcos efformat cum ſucco Angelicæ geſtandos collo appenſos in ſericeo tenui velamine. Ego hoc expertum ſcio. ℞. Arſenic Chryſtallini, Arſenici citrini, Arſenici rubri ana vnc. j. Mercurij ſublimati. vnc. j. Mucilaginis Tragachanthæ q. ſ. miſce fiant rotulæ figura cordis, & inuolutæ ſericeo tegmine cordis regioni, vt carnem tangant imponantur, & Cardanus, Oleum diſtillatum ex Auripigmento arterijs, & cordis regioni illitum, hominem veneno infectum etiam acutiſſimo, & tactu dumtaxat occidente, ſeruare poſſe exiſtimat.

Si quæras quo pacto Arſenicum venenum ab extra impoſitum cordi proſit. Reſpondet Rullandus *Arſenicum Alexipharmacum eſſe, & quatenus eiuſmodi appenſum geſtari non, vt Antipathia profliget venenum intrò tendens: ſed vt magnetica virtute inſita, & Sympathia in ſe allectum abſorbeat.* Extrahere virus dixit Cæſalp. & prauos humores abſumere. Turneiſſer loc. cit. hoc ratione virium Naturalium occultarum fidem mecetur, cum Arſenicum virulenta ſua qualitate venenorum reliquorum vires obtundere, & elidere conſtet. Nos, qui nullam occultam venenoſitatem in his noſcimus: neque Sympathiam vllam noſcere volumus; eadem enim qualitas, quæ quandòque nocet, eadem nunc iuuabit, ſicca nimirum, & digerens. quare ex hoc Amuleto nulla Sympathia, nulla Antipathia; ſed ſola ſiccitas cordi communicabitur, hæc enim eſt ſatis ad præſeruandum cor à putredine, quæ ſoboles eſt humiditatis, ſine qua nulla conſiſtit putredo, & corruptio; nam ſi Arſenicum

per

per Sympathiam attraheret venenum curaret, non præseruaret, nimirum si præsens venenum attraheret, profectò curaret iam affectos, sed peste detentos non curat, ergo non attrahit præsens venenum: præterea, si præseruat attrahendo venenum, cum non adest venenum, quid attrahet? an nihil, an aliquid? & quid? statuamus igitur exiccando superfluas cordis humiditates prohibere nè mala, & putrida qualitas in corde imprimi possit.

## SECTIO VII.
## De præparatione Galenica Arsenici, & Sandarachæ.

VT autem cæptum de his Mineralibus opus perficiamus restant considerandа duo potissimum circa horum præparationem. Alterum, qua vsi sint antiqui præparatione. Alterum verò, an apta sit Arsenici præparatio à Paracelso tradita, & à te transcripta, vt aliquid mirificum. Equidem inuenio Sandaracham, & Auripigmentum adhibuisse antiquos tripliciter præparata: Lota tantum, vsta tantum, vsta, & lota simul; Sæpe etiam sine vlla præparatione. Quandòque etiam adhibuisse sola, quandòque mista in potu, in clisteribus, in suffumigijs, & localibus externis vsibus.

Simplicis loturæ videtur meminisse Marcell. Emp. c. 8. in Collyrio Proteo ad Oculorum suffusiones caligines, & albugines, scribens. *Auripigmenti loti*. Paulus tamen, Proteum parum variata compositione afferens, non habet, nisi simpliciter *Auripigmenti*, subintelligi ergo debet sæpe in antiquorum compositionibus lotura, & præparatio, si est necessaria, vt tu censes.

Vtilitas huius loturæ erit, vt ex veneno fiat non venenum, ex Corrosiuo non Corrosiuum: lotio enim aufert particulas acriores, quod docuit Gal. sæpe, vt 1. de comp. m. per g. 9. de crudi Litargyrij vsu. *Si mordacitatis expertem esse cupis eloto vtitor*. Mesues in Can. etiam salem Naphthicum docet lauare, vt clementior fiat, eundem ante vstionem lauare docet Diosc. cruda etiam lauantur ex Diosc. squamma æris, Chrysocolla erodens; immò ex Mes. & Alex. Lapis Armenus, & Lazuli, vt acrimoniam deponant: & tantum valet lotio, vt scribat Mes. de Lapide Lazuli. *In non loto est proprietas radendi pilos, lotus autem conseruat, & prolongat eos, & generat pilos in palpebris*. Hunc lapidem erodere dixerat Diosc. sicut & Armenum, quem tamen pilos in palpebris alere scriptum reliquit intelligens lotum. Sunt ergo lauanda Auripigmentum, & Sandaracha pluries, vt acrimoniam deponant, nec vlcerare possint, quamuis Diosc. & Gal. id non notauerint; prætermiserunt enim vti notum, & regulis generalibus comprehensum, sicut multa etiam alia cruda lauanda esse, scribere omiserunt, alioqui cum adhibita Escharam gignerent,

K

rent, male docuiſſet Dioſc. *Alopecias replere*, cum illota pilos euellant, ſcribit etiam *contra Phtyriaſim ex Oleo efficax*, hic etiam lotione ſine vſtura vtendum eſſe indicarunt, nè pars exulceraretur, immò cum habet *Tubercula cum adipe diſcutit*, quia diſcuſſione tantum opus eſt, acrimonia lotione tollenda, in potu autem optimè lauanda eſſe cuique notum puto, vt omnis acrimonia auferatur. Verum mihi non lota probantur, cum attenuatione maiori agemus. Modum lotionis apud Gal.1.de comp. m. per g.10. habemus exemplo Lythargirij.

Geber de inuent.perf.c.7. Arſenicum poſt contritionem bulliendum voluit in aceto, & ibidem totam pinguedinem combuſtibilem extrahendam, & deſiccandam, idem etiam cum Sulphure efficiendum ſcripſit; ſed in ordine ad ſuam Chymicam.

Alias præparationes docet ipſe Gal.3.de comp.m.per g.2. *Arſenicum* (inquit) *adiunxi Pharmaco, cum id non adeſſet Sandaracham, ſicut calcem reſtinctam, & viuam, lotam, & illotam, minus autem viuæ, plus reſtinctæ, & plus adhuc lotæ adieci*, quo loco non calcem; ſed Sandaracham calcis modo reſtinctam voluit Galenus. Verum Dioſc. & Plinius, vſtionis tantum meminerunt reliqua, vt nota ſilentio obuoluere. Vſtionis ratio apud Dioſc. legenda. Vſus verò ex Plinio. *Torretur vt validius proſit*. Si igitur vſtio acrimoniam addit, nobis vſui non erunt vſta ad affectus internos, ideò cruda magis probanda. Terminus vſtionis ex Dioſc. & Plinio. *Donec igne flagret, & mutet colorem*. Ego expertus ſum Auripigmentũ ab igne liqueſcere, & ardere, vt Sulphur, in igne; ſed extra ignem extingui, & in igne adeò vri, vt nihil ferè remaneat, idem in Sandaracha (quæ candelæ approximata diſſilit) & ſublimato Arſenico ſum expertus; reſoluuntur enim in fumum omnia, & remanet minimum quid, non ergo ſunt penitus vrenda. Ioan.de Vigo.lib.8.c.13. vrit in ampulla, ſeu ſublimat. Galenus quidem, vt partem acrimoniæ tollat hæc ignita in liquorem aliquem extinguit, pluries autem lota omnem acrimoniam, per ignitionem ſeparabilem effectam, deperdunt, remanentq. exiccantia moderatè, ſine mordacitate. Dioſc. autem cap.de Sandaracha.poſtquam deſcriptionem ipſius attuliſſet, ſtatim ſubdit. *Dos eadem, & vſtio, quæ Auripigmento*. Poſtea vires alias Sandarachæ magis proprias affert, quo nobis conſtare debet (ſi præparandam aſſentiri velimus) Dioſc. velle nos vti Sandaracha vſta, non quidem pura, quia eſſet acrior, quam cruda; ſed optimè lota; præcipuè ad internos vſus, talis enim minimè acris, & minimè nocua eſt, pro ſuffumigijs etiam pectoris vtilis; nam acredo eſt ablata, & primus fumus, qui fortè nocuus, vt vult Libauius, probabilius tamen eſt, Aſthmaticis non vſtam conuenire. Notandum etiam, quamuis Auripigmentum, & Sandaracha eaſdem habeant vires, tamen Dioſc. & Plin. vti magis Sandaracha, quam Auripigmento, & ratio eſt, quia hoc acrius ex Plinio, & ideò *Cauſticis additur, & Pſilotris*. Sandaracha igitur vt mitiori vtuntur ad affectus internos, corri-

gunt

gunt insuper lotione. Nec Sandaracham crudam, & illotam valde pertimescendam censeo, vt dixi, si adhibeatur alijs rebus mista, correcta, & refracta, & sic præparata. Mistio enim est optima præparãdi ratio, & ideò veteres videntur semper Sandaracha vsi cum alijs mista. Experientia siquidem docet, mistione rerum contrariarum retundi vim erodentem Escharoticorum, non enim aliud est hæc venenositas, quam simplex caliditas, & siccitas, vt satis ostendimus; sed valde intensa; ideòque nocua, omne enim nimium Naturæ est adeò inimicum, vt dixerint aliqui, elementa ipsa ex quibus constamus, si pura fuerint, nobis venena, & læthalia esse; ignis enim purus calidissimus, aqua frigidissima, & humidissima, terra frigidissima, & siccissima venena sunt, ob excedentes qualitates, nec aliter nocent aliqua venena, nisi quatenus ad puriorem Elementorum Naturam accedunt, mista autem optimè, & multum inter se agentia, nobis salutaria, & vitæ causa sunt, sic igitur alia venena, præcipuè corrosiua, vt Sandaracha mistione nobis vtilia erunt, cum autem noceãt caliditate, & siccitate has retundi docent scriptores omnes, pinguibus, oleosis, humectantibus, & frigidis, & non solum hæ qualitates prohibẽt exulcerationem; sed etiam cum exulcerauerint, & læserint (quod videtur difficilius, prohibemus enim facilius, quam sanamus) curant, & ad priorem sanitatem reducunt. Amplum huius rei apud Diosc. habeo testimonium, siquidem lib. 6. cap. 1. vt ostenderet venenorum acrimoniam pinguibus, viscidis, & Oleosis refrangi, sic præfatur. *Id euidenter huiuscemodi argumento deprehendere licet. Esto, vt quispiam viua calce, vel fæce, aut Cantharidibus, aut alio quouis acri corpus exulcerare statuerit, is si ipsum oleo leniter illinat exulcerationem non accipiet.* Quo nobis constet magno ad acrimoniam hebetandam esse auxilio Oleosorum, & huiusmodi admistio; optimè igitur Mel, Resina, & similia miscentur, exempla plurima apud diuersos extant.

## SECTIO VIII.
## De præparatione Paracelsica Arsenici, & Sandarachæ.

Ex dictis edoctus, mi Raymunde, desinas mirari Græcos Sandaracha vsos: desinas expauescere huius potum, & suffumigia: desinas veneni atrocissimi vocem: caueto etiam, nè veteres homicidas appelles; nec minus caueto, asserere amplius, quod fol. 83. inconsideratè scripsisti. *Vix puto vllum ex Hermeticis modernis Medicis tam temerariũ reperiri posse, vel repertum fuisse, vt simile quidpiam tentare, vel aggredi ausus fuerit,* nec iterum puto te scripturum, verba illa ibidem posita. *Sandaracham prisci audacter corporibus humanis, (sed nescio quo fructu) ingessere;* namque ex supradictis facilè discere poteris fructus, & vtilitates ab assumpta Sandaracha, quæ res spero, vt *diù te torsit, sæpèque perple-*

*xum reddidit*.fol.73.ita in poſterum,nec moleſta nec ignota erit. Et hæc pro maiorum noſtrorum excuſatione dicta, ſatis eſſe cenſeo; quibus tu patrocinium tuum negans fol. 74. habes. *Ego ſanè nullibi ijs ſuccurrendi, vel opem, vel auxilium inuenio, niſi eos Sandaracham hanc ſuam præuia præparatione repurgaſſe, ac à veneni labe immunem reddidiſſe dicamus: ſed cur præparationis, aut purificationis eius mentionem nullam faciunt? hic iterum hæremus*. Nè igitur hæreas amplius, ego tibi explanans antiquorum præparationem Sandarachalem, curaui. itaque ſi me prius conſuluiſſes (poſtquam in tuis libris non reperiebas) neutiquam ſcripſiſſes reor. *Multis annis dubius in hac veterum, ac priſcorum anteceſſorum noſtrorum medicationis conſideratione hæſi, dum tandem in Paracelſi ſcripta inciderem, qui veterum famam à calumnia hac videtur vindicaſſe, is namque veteres per Vini ſpiritum venenatam qualitatem Sandaracæ ſuæ ademiſſe, & extraxiſſe ſcripſit*. Miror equidem quomodo hæc tu vir oculatiſſimus ita tranſcripſeris, nec minus miror Paracelſum ſua ſomnia pro veritate vendere voluiſſe: impoſſibile enim eſt, veteres vſos Vini ſpiritu, cum hunc nec agnouerint, nec præparauerint vnquam (quod in memoria hominum exiſtat) vnde falſiſsimè aſſerit Paracelſus veteres Arſenicum præparaſſe Vini ſpiritu. Error etiam eſt alter, Paracelſus loquitur de præparatione Arſenici ſublimati, & tu trãſfers ad Sandaracham crudam ſine comparatione inualidiorem.

Sed age dum, quam tu affers ex tuo Paracelſo Arſenici correctionem perpendamus, ſumit hic *Arſenicum Chryſtallinũ*, hoc veteres non nouerunt, non Gal. non Dioſc. non Pl. quid ergo ad nos pertinet hæc præparatio? qua vtilitate? ſi etiam præparatum externis tantum vſibus aptum, ex te ipſo: præparationẽ quærimus Sandarachæ pro vſibus internis, hanc tu non doces, nihil ergo doces, neque enim Arſenicum Chryſtallinum intro vſurpamus. Sed tu vltro pergens ſcribis Arſenicum, & Nitrum in crucibulo vrenda, liquanda, & fundenda per ſatis amplum temporis ſpatium, tunc aqua calente ſæpius abluis, ſiccas, denique Vini ſpiritum affundis &c. hanc ineptam eſſe Arſenici præparationem, tu quòque (ſi me attentè audieris) pronunciabis. Omnes Chymici docent Arſenicum tam artificiale, quam naturale, fugax, exhalabile, volatile, & euaneſcens eſſe. Et ego expertus ſum Auripigmentum, Sandaracham, & Arſenicum Chryſtallinum in crucibulo ignita tota omnino euolaſſe, legantur Geber, Vannuccius, Imperatus, Agricola, Libauius, & cæteri Chymici, omnes fatentur hæc mineralia per ſe ſola ignita euaneſcere tota, & deperdi: ſi ergo igne tota exhalant, etiam in hac tua Paracelſica Arſenicali præparatione totum euaneſcet, remanente tantum Nitro vſto, quod diſcere etiam poteras ex Libauio in declaratione praxis Alchimiæ cap. 36. cuius verba id totum explicantia ſunt hæc. *Arſenicum quamprimum paulullum calefiat euolat, ignemq. non fert, attamen per Nitrum (licet, & hoc igne effumet) in igne aperto, (neque clauſo) fixus redditur, meo iudicio*,

hoc

*hoc ipso labore, vel nihil, vel parum superest de Arsenico, totamque coagulatum nil aliud esse arbitror, quam præcipitatum, aut fixum Nitrum, quod cum suos amisit spiritus, igne subsistit, ac fluit.* Patet igitur non fixari Arsenicum, sed euolare, vnde tuus Paracelsus spiritum Vini infundit fœcibus Nitri, non Arsenico, quod iam euanuit. Nec hic est locus de Arsenici fixatione loqui tecum: Galenico enim nonnisi Galenicè loqui expedit. satis nunc sit dixisse, non esse hanc veram Arsenici fixationem. Vnde omittam præparationes, & fixationes varias Quercetani, & aliorum Chymicorum cum ad externos tantum vsus commendent, & nos præparatione Arsenici, & Sandarachæ pro potu quæramus. Nec loquar, an verè fixetur in Arsenici vitro à te Magnete Arsenicali dicto, cuius succini electissimi forma, & Chrystalli Diaphaneitate copiam fecit mihi aliquot ab hinc annis Illustrissimi, & Reuerendissimi Principis & Cardinalis Odoardi Farnesij Præclarus Chymicus D. Tobias Aldinus: cuius vsus non est spernendus, & hæc satis.

## SECTIO IX.

### De Dosi, tempore, & modo vtendi Sandaracha, & Auripigmento, in potu, & suffumigijs.

Restat, vt de Dosi Sandarachæ propinandæ aliquid proferamus, tu enim non distinguens Sandaracham, Auripigmentum, & Arsenicum, ac si æquales omnino vires in gradu haberent, dixisti fol. 73. *Vnicus scrupulus homini interficiendo sat est, drachma vna, prout Paracelsus monet, quemuis equum etiam robustissimum prosternit.* At suum Arsenicum præparatum, seu potius Nitrum vstum, dixerat idem Paracelsus (quamuis tu non referas) etiam ad libram j. tuto deuorari posse, quod excedit fidem, nisi dicat plurium annorum spatio. Sandaracæ autem propinandæ Dosim, neque Diosc. neque Plin. determinauit, at cum melle delingendam dicant, ob assiduum vsum, non parua fortasse dosis exhibenda erit. Diosc. dans cum Resina in Catapotio paucam exhibuisse quantitatem videtur: alibi ergo venanda erit Sandarachæ, & Auripigmenti dosis. Mesues cap. de Asthmate Arsenicum sumendum cum Ouis, cum Melle, cum Mulsa, cum Resina pini docet, sed non dosim, similiter cap. de Tussi humida. Auic. de Asthmate neque etiam mensuram præscribit, Gal. autem 3. de med. par. fac. 18. tantum scribit *pro sale in ouum sorbilem mittito,* in tanta igitur quantitate, quanta sal misceri solet. Gal. attributus de catharticis. Confectio ad purgandum pulmonem, & thoracem experta.

*Styracis,*
*Terebynthinæ,*
*Sandaracæ,*

*Maſtiches,*

*Medullæ ceruinæ, ana. drach.* j.

*Iuuat Stomachicos, Pleuriticos, Phthiſicos, & omnem tuſſim.* Auic. verò cap. de cura icteritiæ videtur aliquanto exactius tradidiſſe.

℞. *Corticis granatorum ſcrup. iiij.*

*Arſenici pondus drach. ij.*

*Sumatur ex eis quantum tolerat pollex, & ſumatur in potu cum vnc. iij. lactis Aſinini.* Paulus ad Viperarum morſus. Myrrhæ, Caſtorij, Piperis, Sandarachæ. ana. drach. j. Aneti ſeminis acetabulum. leuigata expaſſo dantur, nec docuit an totum vnica vice, vel pluribus. Si totum dandum. drach. j. nimia doſis eſt, & ſi acetabulum pendet. drach. xx. cum totum compoſitum fuerit. drach. xxiiij. plures doſes erunt, vnde ſi compoſitionis huius drach. j. dare voluerimus, Arſenici drachmæ vnius vigeſima pars pro doſi erit conſtituenda, ſed multò etiam exactius ex compoſitione quadam à Gal. allata 3. de m. p. fac. 64. videtur doſis colligi poſſe, ſic autem compoſitio deſcribitur.

*Allij accipe ſpicas ſeptem.*

*Arſenici fiſſilis,*

*Piperis, vtriuſque grana tredecim.*

*Bambacem,*

*Pini nucleum,*

*Ceræ modicum miſcens cum oui vitello accipe frequenter.* Igitur hæc Sandarachæ conueniens doſis eſſe poterit, ſeu ſcrupulus ſemis.

Tempus ſumendi ſupra docuerat Gal. *diluculo, & cubitum eunti,* alias dixit. *Sorbeto ieiunus.* denique *in Balneo propinato.*

Auripigmenti in ſuffumigijs quantitas liberalior eſt, non enim vlcus pulmonis timetur, qui mollis, & laxus exiſtens, ac ſumma excrementia humiditate repletus exiccari validè poſtulat. Doſim tamen ab Auctoribus nullam certam deſcriptam ex compoſitis venabimur. vt Meſ. cap. de Aſthmate.

℞. *Ariſtolochiæ rotundæ.*

*Myrrhæ,*

*Styracis,*

*Thuris. ana. drach.* j.

*Arſenici drach. v.*

*Tere, & confice cum Butyro Vaccino, & fac formas ſimiles Auellanis, & ſuffumigetur vna poſt vnam.*

Medietas igtur Auellanæ erit doſis vna ad ſummum fortaſſe.

Tempus his vtendi talis erit. Meſ. cap. de Aſthmate. *Recipiatur fumus eius in os per traiectorium, & aſſiduetur per aliquot dies omni die ter quoniam ſanat.* & iterum dixit. *ſuffumigetur per hebdomadã,* & c. de tuſſi *tribus vicibus.* deinde *omni die bis, vel ter.* Auic. de cura Aſthm. *ſuffumigetur. x. dieb. & omni die ter.* Gal. l. cit. *ieiunũ ſuffumigato, cubitũq. euntem.*

SE-

# SECTIO X.

## Correctio accidentium ab vſu Arſenici, & Sandarachæ in ſuffitu.

INſuper, ne quid intactum relinquam, reperio poſt ſuffumigia hæc, quæ validè, & violenter exiccant pulmonem, & vias intermedias: antiquos ſtatim propinaſſe humectantia remedia, nè partes non exiccandæ læderentur; ideo ſcribit. Gal.loc.cit. *Cum verò laborans ſuffumigio triſtabitur, ipſi butyrum ad auellanæ nucis magnitudinem exhibeto, iterumque ſuffumigato, id autem ſepties repetes.* & Meſ. cap. de tuſſi, poſt ſuffumigium iubet, vt *bibat ſuper ipſum aquam cum butyro Ouino*. & cap. de Aſthm. poſt aliquot ſuffumigia. *Et derelinquatur* (inquit) *vehementia exiccationis in pectore, & pulmone redeundo ad mollificationem propriè ſicut eſt Sy. de cheſmes, & decoctio ficuum, & ius gallinæ, & ius atriplicum, & maluarum decoctarum cum gallinis, & quæ hoc curſu procedunt, & ad inunctiones pectoris deinde redeundum ad adminiſtrationes medicaminum ſummæ huius, & non negligatur operatio hæc, quoniam ſanat.* Et hæc ſatis pro hac vice. Habes igitur, præſtantiſſime vir incomptam quidem, ſed ingenuam Epiſtolam, quam vel frigidam, vel calidam, vel crudam, vel coctam, vel etiam venenatam, ſi dixeris, permittam, dubitationum plenam fateor, hanc tamen accipias velim, vt ab eo, qui te diligit ἀδόλως, καὶ ἄπλαστος proficiſcentem. Tuum erit acri tuo ingenio, & exacto iudicio, hæc, quæ à me ſcripta ſunt diligenter examinare, calculumque, vel album, vel nigrum ſingulis porrigere, vtrumque enim æqui, bonique conſulam, modo me ames, quod vt facias etiam. Atque etiam rogo. Vale.

# F I N I S.

IN-

# INDEX
## RERVM NOTABILIVM
### QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A



Acri-

Risi-

# INDEX.



# FINIS.



**Errata Typographica Interpunctionum, & Litterarum Lector benignus ex se corriget.**

